

GIRALDUS

ITINERARIUM CAMBRIÆ

SEU LABORIOSÆ

BALDVINI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

PER

WALLIAM LEGATIONIS

ACCURATA DESCRIPTIO

AUCTORE

SILV. GIRALDO CAMBRENSE.

CUM ANNOTATIONIBUS

DAVIDIS POWELI,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

LONDINI

TYPIS GULIELMI BULMER ET SOCII,

IN VICO CLEVELAND-ROW,

MDCCCIV.

PRÆFATIO EDITORIS.

Nulla quoniam Operum Giraldi Cambrensis de Wallia adhuc integra extat editio, hanc novam (ad instantiam amicorum) in lucem protulimus Editionem, nè Auctoris tam antiqui ac eruditi omnino pereat memoria.

Prima Itinerarii Cambriæ editio prodiit Londini apud Edmundum Bollifantum, anno 1585, in duodecimo; secunda editio impressa fuit anno 1602, in libro dicto Anglica, Normannica, Cambrica, à Gulielmo Cambdeno edito; nec hæc autem, nec illa, integra est editio: deest enim liber secundus de Illaudabilibus Walliæ; hunc ex Wartoni Anglia Sacra excerpsimus; et Giraldi Cambrensis Epistola ad Capitulum Herefordense de Libris à se scriptis; Librorum suorum Catalogus; et Chronologia Rerum à se gestarum, huic novæ subjiciuntur Editioni.

Giraldi Effigiem in Ecclesia Menevensi adhuc extantem subjunximus, necnon et Sepulchrum; Tabulam etiam Chorographicam, in qua fluvii Cambriæque montes, urbes olim Romanæ, et Baldvini Archiepiscopi Cantuariensis Iter, accuratè, ut speramus, delineantur.

Quinquaginta in majori, et ducena in minori chartâ imprimuntur exemplaria.

GULIELMUS BULMER.

VITA
GIRALDI CAMBRENSIS
EX
EJUS SCRIPTIS, LELANDO, ET BALEO
COLLECTA.

Silvester Giraldus illustri genere in Cambria natus, unde Cambrensis appellatus est, nobilissimi illius Giraldi de Winsor, qui primus Penbrochiæ castrum construxit, et Nestæ filiæ Resi filii Theodori, Demetiæ Principis, nepos extitit. Qui in bonis literis liberaliter educatus, dum adhuc adolescens esset, statura procerus, facie et forma nitidus, ac doctrina præclarus fuit, cujus causa totam fere Europam peragravit, et post ingentes in ea re labores Parisium perveniens, artium scholas in Anglorum Collegio rexit, per triennium quoque auditor Theologorum effectus, omnem fere scripturam postea exposuit, et omnium literarum gloria celebris factus, cœpit ejus nomen ubique in honore haberi, unde ab Henrico Secundo Rege

accersitus, in curiam venit, et Regi à secretis constitutus est; deinde Johanni ejus filio tutor assignatus, cum illo in Hiberniam missus est, ubi antiquas ejus regionis historias diligentissime colligens eas scriptis mandavit.

Postea Menevensis et Brechonensis Archidiaconus factus, Baldvino Cantuariorum Archipræsuli comes adjunctus, universam Cambriam peragravit, et cum eo in Syriam profectus est: tum domum reversus, magnam reliquæ suæ vitæ partem in litibus cum Huberto Cantuariensi Archiepiscopo pro Metropolitano Menevensis ecclesiæ jure consumpsit, unde in Romanorum Pontificum Decretis ejus nomen celebre habetur.

Hic tametsi Angliæ regibus semper charus extiterit, et plures legationes pro illis obierit, multos tamen in curia ex primi nominis nobilibus adversarios habuit, de quibus in Præfatione libri sui De Principis Instructione ita scribit:

Ad curiam igitur à studio, peccatis exigentibus, à Rege vocatus (cui nihil minus menti, quam mentiri, nihil desiderio magis, quam decipere, quam differre, quam sequentium animos et obsequentium dilationibus cruciare) circa eundem, ejusdemque defuncti filium atque hæredem, et utinam non vitiosum, irreparabili damno duo fere lustra consumens, nihil ab illis præter inanes vexationes, et vacua veris promissa suscepi.

Si quid enim gratiæ morum gravitas, si quid literæ, si quid industria conferre potuit, totum id suspectum, totum infestum, totum exosum Walliæ nomen ademit. Tres enim naturæ partes, quamquam ab Anglis et Normannis linea contraxerim originali, totamque præterea convictus (à quo et mores formantur), vim, partem, et proprietatem, longam quoque commorandi consuetudinem, quæ et alteram sibi naturam comparare solet; ex quarta tamen parentalis propagationis columna, et post tertiam prima tanquam genialis quadrigæ rota à Trojana nobilitate contracta, totum infici, et modico quasi fermento massam corrumpi, semperque in elationem extolli gens inimica conjectat.

Unde et quoniam inter Anglos, ut diximus, nostra tam morum institutio fuerat, quam conversatio, in Cambria vero natio reperta est et cognatio; compactum est ex his et confectum, ut uterque populus me sibi tanquam alienum reputans, et non suum, semper oculo respexerit novercali; alter ob hoc suspectum habens, et alter exosum.

Accessit et aliud inter incommoda, quod si quid à nobis egregie dictum vel gestum fuerit, statim quoad licuit, aut illud invidia suppressit, aut malitia pervertendo corrupit, in hujusmodi plerunque verba prorumpens: A Cambria potestne aliquid boni esse? sin autem, humanis ut mos est excessibus, aut pes à linea quandoque titubare, aut à

litera vel syllaba cadere lingua videbatur, in mediis quoque et indifferentibus, nec laude dignis, nec vituperio, statim hostilis irrisio, cum exclamatione Cambriæ vitium exprobravit, tanquam patriæ cognata fuerit enormitas et innata.

Mihi vero visum est, et indubitata veritate compertum, quod sicut nonnullos regio composita malos educat, et incompositos, sic aliquem interdum regio barbara bonum producere possit et eruditum, quia non tam locus personam, quam persona laudabilis locum illustrat. Hæc ille.

Ex quibus manifeste apparet, invidiam virtutis comitem esse, principisque favorem instabilem atque incertum plurimos decipere. Quidam monachus Cisterciensis, Gulielmus Wibertus nomine, Giraldum proditionis accusabat; sed ejus periculum, Deo donante, vir eruditus ac pius evasit. Claruit tempore Henrici Secundi, Ricardi Primi, et Johannis, vixitque ultra septuagesimum vitæ annum, et in Menevensi ecclesia tandem sepultus jacet. Domicilium habuit in Brechinia, ut ipse testatur in Itinerarii libro primo, capite tertio.

Quo major sequentia Giraldi Opera lecturis lux adesset, visum est præmittere rerum à Giraldo gestarum Chronologiam, qualem ex Scriptis ipsius expiscari potuimus.

Anno circiter 1150, Giraldus natus est.

Anno circiter 1170, metricam Cosmographiam scripsit.

Anno 1172, ab Academia Parisiensi, ubi per plures annos bonis literis operam dederat, in Angliam reversus est.

Anno 1175, à Ricardo Archiepiscopo Cantuariensi Legatus in Wallia constitutus, brevi post archidiaconatum Brecheniensem obtinuit.

Anno 1176, mense circiter Maio, Episcopus Menevensis electus est. Sub exitum ejusdem anni Parisios repetiit.

Anno 1179, Juris Canonici Professor publicus in Academia Parisiensi electus, provinciam recusavit; eodem anno Canonici Menevenses ecclesiæ suæ jus metropoliticum in Concilio Lateranensi protestati sunt.

Anno circiter 1180, in patriam reversus, administrator episcopatus Menevensis à Petro Episcopo constitutus est.

Anno circiter 1184, ab Henrico Rege in curiam accitus, una cum Rege in Normanniam transiit.

Anno 1185, Johanni Henrici Regis filio in Hiberniam misso comes et consiliarius datus est.

Eodem anno Fernensem et Lechelinensem Episcopatus sibi oblatos recusavit.

Anno 1186, media Quadragesima, in Concilio Dublinensi peroravit, et post Pascha in Walliam rediit.

Anno 1187, Topographiam et Expugnationem Hibernicam scripsit.

Anno 1188, Baldvinum Archiepiscopum Cantuariensem in Wallia itinerantem comitatus est.

Anno 1189, ex Gallia legatus est à Ricardo Rege ad tutandas Walliæ partes.

Eodem anno Willelmo Episcopo Eliensi summo Angliæ Justiciario coadjutor datus est.

Anno circiter 1190, Episcopatum Banchorensem sibi oblatum recusavit.

Anno circiter 1191, Episcopatum Landafensem sibi oblatum recusavit.

Anno 1192, Aula relicta Lincolniam studii theologici gratia se contulit, ibique per septennium moratus est.

Anno 1193, scripsit Vitam Galfridi Archiepiscopi Eboracensis.

Anno circiter 1197, Gemmam Ecclesiasticam scripsit.

Anno 1198, mense Septembri, Episcopus à Capitulo Menevensi inter alios tres postulatus est.

Anno 1199, ineunte, solus à Capitulo Menevensi in Episcopum postulatus, die 29 Junii electus est.

Eodem anno, die 30 Junii, in Hiberniam transvectus, post tres septimanas remeavit, et Romam profectus, circa Festum Sancti Andreæ urbem intravit.

Anno 1200, mense Maio, administrator Episcopatus Menevensis tam in temporalibus quam spiritualibus pendente lite ab Innocentio Tertio Papa constitutus, Angliam brevi post rediit.

Anno 1201, Romam reversus media Quadragesima intravit, medio anno ad Angliam rediit.

Anno 1202, fere integro in placitis variis corum delegatis judicibus exacto, die 2 Novembris versus Romam iter ineuns transfretavit, urbem ingressus die 4 Januarii sequentis.

Anno 1203, die 15 Aprilis, sententia definitiva ab Innocentio Pontifice lata, mense Augusto repatriavit.

Anno eodem, die 10 Novembris, electo Gaufredo in Episcopum Menevensem, litem ulterius prosequi destitit, et paulo post Archidiaconatum Willelmo nepoti suo resignavit.

Annos inter 1204 et 1205, scripsit Descriptionem Walliæ, Symbolum

Electorum, Speculum Duorum, Invectiones, Legendam Sancti Remigii, et de Gestis suis.

Anno circiter 1215, Episcopatum Menevensem iniquis sibi conditionibus oblatum recusavit.

Anno circiter 1218, Dialogos de Jure Menevensis Ecclesiæ conscripsit.

Anno circiter 1220, scripsit librum de Principis Instructione, et Speculum Ecclesiæ, et editionem Dialogorum secundam concinnavit.

GIRALDI CAMBRENSIS

CATALOGUS BREVIOR LIBRORUM SUORUM.

Occurrit hic igitur in primis tempore tenerior Chronographia nostra et Mundi Cosmographia, annis adolescentiæ versibus hexametris pentametrisque metrice composita, plus philosophicum quam theologicum nonnullis in locis dogma secuta.

Item Topographia Hibernica, liber sc. de situ terræ illius et mirabilibus ejusdem multis exaratus, apud Oxoniam per tres dies continuos in publica cleri audientia recitatus.

Item Liber de Expugnatione Hiberniæ, et hac ultima insulæ illius per Anglos subactione.

Item liber de Legendis Sanctorum, Vita sc. Sancti Davidis Menevensis Archiepiscopi; Vita Sancti Caradoci nobilis loci ejusdem Confessoris; Vita Sancti Ethelberti Martyris Herefordensis egregii; Vita Sancti Remigii Lincolniensis Episcopi primi; Vita Sancti Hugonis quinti post Remigium loci ejusdem Antistitis.

Item Liber de Promotionibus et Persecutionibus Gaufredi Eboracensis Archiepiscopi, quod nec in cunabulis aut celsitudine generis, nec in divitiis aut fortunæ blanditiis spes ponenda, exemplum præbens; et quoniam non sub certi auctoris nomine liber editus est, merito dicitur Apocriphus.

Item Symbolum Electorum, ad varia complendum diversorum desideria, sicut ex proœmio libri ejusdem patet, compaginatum.

Item Liber Invectionum, Romæ in Giraldum acriter inchoatus, et ibidem ab ipso, Papa monente, in pleno Consistorio ad injurias

respondente, et objecta crimina non incompetenter evacuante pariter et refundente, necnon et utilia quædam adjiciente consummatus.

Item Speculum Duorum Commonitorium et Consolatorium, et quod sola peperit indignatio, cum Epistolis paucis ad injurias illatas respondentibus ac remordentibus, quasi querulum carmen emissum.

Item Liber de Cleri Ecclesiastici circa sacramenta majora magisque necessaria instructione et persuasibili valde per exempla pariter et præcepta ad vitæ honestatem inductione; cui Gemma Ecclesiastica titulus nomen imposuit.

Item Itinerarium Giraldi, et laboriosa Baldvini Cantuariensis Archiepiscopi Legatio, devotaque per Walliam in Crucis obsequium prædicatio.

Item Cambriæ Topographia, et tam terræ quam morum gentis illius brevis et compendiosa Descriptio; cujus in fine satis succinctus ac dilucidus tam Retractationum Tractatus, quam Librorum nostrorum Catalogus non incompetenter est appositus.

Item circiter id ipsum temporis quo Cambriæ Descriptionem stilo perstrinximus, Mappam ejusdem expressam, quatenus et natale solum non tantum literis verum etiam protractionibus quibusdam et quasi picturis variis nec incompetentibus aut indecentibus nostra foret ad unguem opera declaratum, breve in loculo arctoque folio loca quamplurima complectentes, eademque tamen dilucide satis et distincte disponentes, non absque studioso labore propalavimus.

Item Liber de Fidei Fructu Fideique Defectu; quanta ferventem præmia, quanta frigentem supplicia manent succincta brevitate declarans, labor sc. diligenti lectori non inutilis.

Item Liber de Principis Instructione, toties promissus; fere inter primos inchoatus, inter ultimos autem propalatus, diu nimium clausus et sopitus, quando tute prodire posset plurimis annorum curriculis tempus expectans; liberaliter quidem et non livide legenti labor sua quoque laude non indignus.

Item Liber de Gestis Giraldi laboriosis Menevensis Ecclesiæ, de

cujus dignitate multa complectitur; quanquam ad præterita minime medelam, magnam tamen ad futura cautelam præstans. Labor non infructuosus; ubi perpendi evidentissime poterit, quod ecclesia militans per surreptiones varias, instrumentorum ac testium falsitates, plerumque decipitur aut corrumpitur; triumphans vero non irridetur; et quod non semper ad merita æque respondent in terris præmia, vel cæca in incertum aberrante, ut solet, et exorbitante fortuna, vel certe benigniore clementia juxta cordis desideria, si pie, pure, legitimeque certatum fuerit, ad æternam felicitatem corona reposita et mercede servata.

GIRALDI CAMBRENSIS

EPISTOLA AD CAPITULUM HEREFORDENSE

DE LIBRIS A SE SCRIPTIS.

Ad illos tutum habet accessum justa petitio, quorum non ignoratur discretio pariter et eruditio. Rogo itaque, quatenus librum nostrum, sc. Ecclesiæ Speculum, Beato Æthelberto anno jam fere præterito datum, mihi per hunc Clericum præsentium latorem, ad corrigendum adhuc plenius et utilia quædam locis competentibus adjiciendum, remittere velitis. Memorialem autem interim vobis Topographiam Hibernicam, et Vaticinalem Hibernicæ Expugnationis Historiam, opera duo sc. et diversa, sed uno volumine conserta, per eundem destinavi; quem cum melioratum susceperitis, quod in proximo fiet, et emendatum, alium, si placet, remittetis. Peto similiter et illud, quatenus in Topographia nunc missa, in distinctione prima, quasi juxta principia, tractatum de avibus earumque naturis in allegoriis etiam adaptatis, percurrere legendo non postponatis; pretium namque laboris et præmium fore mihi noveritis, quoties eruditis oculis aut auribus se forte subjicere scripta mea contigerit. Nosse vos enim pro certo volui, quod transactis annorum curriculis triginta vel pluribus, cum circiter editionem dictæ Topographiæ primam et libri recitationem in publica cleri audientia per triduum solemniter Oxoniæ factam, cum Archiepiscopus Cantuariensis Baldvinus, vir quidem valde literatus et in Sacris Scripturis affatim eruditus, dictum de avibus

earumque naturis et allegoriis assignatis tractatum coram se lectum quandoque relectumque diligenter audisset, quæsivit, utrum evidentiam aliquam ad allegorias illas sic assignandum ab agiographis et expositoribus nostris habuissem; cumque responsum accepisset, quod revera penitus nullam, nisi quod solum gratia divina concessit, subjecit vir ille bonus atque benignus: Nec mirum, quia certe eodem spiritu, quo et ipsi. Scire vos etiam et hoc cupio, quoniam juvenili tempore, cum per lustra fere sex artibus indulserim trivialibus, quibus præcipue studiis vehementer animum applicueram, Parisiisque tum propter exercitium tum propter etiam rationis humanæ utilitatem, scolas aliquamdiu publice rexerim; tandem maturiori consilio magistrorum limina theologicorum auditor et amator avidus per triennium integrum et amplius terere cœpi, nec cessavi, et super artium ac literaturæ fundamenta superædificare stabiliter per Dei gratiam tam theologicam quam canonicas statui disciplinas. Egressus itaque tenore sub isto de scolarum tunc gymnasio, demum reversus in patriam, sciensque quoniam juxta philosophi sententiam, Animus si remittitur, amittitur; ne forte quiete torpescerem aut desidia, dictam Hiberniæ Topographiam cum abditis suis et arcanis, aliisque regnis per orbem universis, valde diversis et prorsus alienis, opus ab alio non attemptatum, ad tractandum aggressus fui: postmodum autem aliquot annis evolutis theologica repetens studia, per quinquennium spacium et ultra literis sacris animum incunctanter et incessanter applicui. Præter hæc etiam non minus in hospitiis alibi, quam scolarum exercitiis ociisque literalibus, quoniam, ut ait philosophus, Ocium sine literis mors est, et tanquam hominis vivi sepultura; tam luculentis studiis diurnis, quam lucubrationibus quoque nocturnis, studiosum continuare laborem, et mentis aciem vel legendo vel scribendo jugiter exercere constitui. Consideret itaque ratio provida mensque discreta, cum vir ille tam eruditione quam dignitatis honore præditus et præclarus, primos labores nostros, et quasi præludia quædam ad experiendum ingenii vires et exercendum attemptata, tanta commendatione digna

censuerit, ut dictum est supra; utrum commendari debeant et digne laudari, quæ provectior ætas et eruditior emiserit, an malicioso lividorum judicio reprobari? Illud quoque palam et in propatulo cunctis esse desidero, qualiter vir ille magnus et merito magnificandus, completa legatione sua tam devota per horridos et hispidos Walliæ fines, in crucis obsequium et crucifixi negotium, quia tunc forte cum dictæ Topographiæ sibi presentatæ lectio, quam libenter audiebat, à nobis coram ipso quotidie facta, completa similiter erat; sermonem ad me dirigens, et os sacrum in verba resolvens, ait: Opus tuum, Archidiacone, quod jam perlectum audivimus, quoniam uniformiter tam verborum flosculis quam sententiarum medullis adeo convenienter et competenter cunctis ex partibus exornatur, quod nec primum medio, medium nec discrepet imo, dignum commendatione plurima judicamus; gratiamque stili talem tibi collatam à Domino, quam plus opibus cunctis terrenis et transitoriis proculdubio diligere debes et approbare, nullo vacare tempore sinas aut permittas; tibique in fide consulimus, et tanquam nostræ prælationis officio firmiter injungimus, quatenus literati ingenii tui gloriam, gratiamque stili tam egregii desuper datam, in aliquo literali studio, quod multis in posterum proficere queat, semper exerceas, et in caritatis opere tali vitalia complere tempora non desistas. Propter hæc igitur monita, quinimo præcepta, quibus obedire necesse fuit, animum antea studiis obnoxium longe propensius solito curis literalibus applicare dignum duxi. Adeo quidem ut veluti modum in his atque modestiam omnem minus servantem non solum æmuli, verum etiam amici nonnulli, tanquam me senem penitus infatuatum reputaverunt ac delirum, sæcularibus negotiis minus intentum, et in his quæ mundi sunt promotum longe segnius et sublimatum. Verumtamen, ut dicti Prælati tanti monitis adquiescam, et præceptis obediam, et cum præsentibus propter invidiam placere non valeam, saltem posteritatis favorem et gratiam, si literaturæ decus quandoque resurgat, nisibus totis mihi perquiram, dictas contumelias et convicia pati satis tolerabile duxi. Quinimo

non propter applausum in futuro laudis humanæ, quod vanitati revera subjacet apertæ, sed propter spem potius retributionis æternæ, quia literalia studia, quibus adeo perseveranter mens intenta multos in posterum ædificare per Dei gratiam et informare valebunt, dictas sustinere contumelias et opprobria valde concupiscibile judicavi. Porro quatenus ad priora revertamur, post commendationem dicti libelli tantam ab Archiepiscopo Cantuariensi factam, duas commendationes ejusdem à duobus viris literatissimis, Waltero Mapo sc. Oxoniensi Archidiacono, et Magistro Roberto de Bello-foco, Salisburiensis ecclesiæ Canonico, similiter emissas, et hic apponere præter rem non putavi. Lecto namque libello primum eodem ab Archidiacono, sicut et aliis quibusdam de juvenilibus laboribus nostris, quos libenter audiebat et inspiciebat, ait: Et si forte scripta Giraldi non propter aliud digna commendatione fuissent, nisi propter proœmia sola tam egregia, dicerem ea proculdubio laude non indigna. Eoque dicto, rogavit, quatenus libellum de proœmiis operum nostrorum variis in unum consertis ei donarem; sed cum alii vel antea vel post similiter efflagitaverant, quidam metrica carmina mea juvenilis ætatis, quidam epistolas et dictamina ad varias personas variis temporibus destinata; nonnulli quoque rhetoricas orationes persuasibiles per opuscula nostra varia dispersas, quibus movebantur, in unum congestas; et magnorum quoque virorum descriptiunculas congrue et competenter adaptatas, de dono nostro mero sibi largiri postulabant. Verum, quia laborem honestum fugere non consuevi, quatenus uno beneficio quanquam laborioso singulis petitionibus illis omnibus plene et abunde satisfacerem, de Dictis quatuor per totidem distinctas particulas artificiose consertas, sicut delectabile sic et opus non inutile compaginare curavi; ut tanquam pluribus ex hortulis et pictis arvorum pratis mens studiosa præcipuos eligere flosculos tam salutiferos quam odoriferos queat, et quasi marinas inter arenas aliquas forte virtuosas valeat gemmas excerpere; et ut etiam dicti Canonici Salisburiensis præmissa commendatio non prætermittatur, sciendum quod

dicta Topographia postquam apud Oxoniam solemniter recitata per triduum fuerat, per varia loca se diffudit, et ad manus dicti Canonici literalibus in studiis laudatissimi forte devenit; quem cum legeret et relegeret, satiarique legendo seu fatigari vix valeret, quæsivit tandem ab eo familiaris quidam clericus ejus et commensalis, quid in illo libello dignum lectione sua tam continua tamque libenter et toties repetita tunc reperiret; qui Sacris Scripturis, tam arduis atque subtilibus studiis assiduis animum applicare solebat. Cui respondens statim ait, et assertive proposuit, quod ideo librum illum inspectione tam affectuosa, nec fastidiosa, dignum judicabat, quia si viginti clerici literatiores et laudabiliores totius Angliæ, ubi tot sunt boni, super eadem materia sibi commissa per triennale spatium, quo completum est istud, communi labore studioque continuo tam eximium opus emisissent; dicerem ipsos præconali laude dignissimos. Præscriptis etiam adjicere curavi, quod ante monita viri sancti tam salubria ex propriæ motu industriæ, juvenili conamine scripta nonnulla compegeram, animis revera studiis literalibus addictis non inutilia. In primis videlicet Chronographiam metricam, et Mundi nascentis Descriptiunculam; et Cosmographiam pentametris versibus exornatam; deinde Topographiam Hibernicam, et Vaticinalem postea Regionis ejusdem Expugnationis Historiam: item et laboriosum per hispida et inæqualia Walliæ loca postmodum Itinerarium, et succinctam Cambriæ Descriptionem, gentisque Britannicæ naturam expressam et proprietatem ab aliis nationibus longe diversam et prorsus alienam, studiosis absque dubio mentibus opus commodum et compendiosum. Item Symbolum Electorum, et librum de Invectionibus intitulatum, ad præmissas injurias multas vice talionis animo vindice nec inimico responsalem. Item Speculum Duorum Commonitorium ac Consolatorium, et quod sola peperit indignatio, cum Epistolis paucis ad injurias illatas respondentibus ac remordentibus, quasi querulum carmen emissum. Item librum de Promotionibus et Persecutionibus Gaufridi Eboracensis Archiepiscopi; quod nec incunabulis

aut celsitudine generis, nec in divitiis aut fortunæ blandiciis spes ponenda, exemplum præbendo. Item ad natale solum plenius illustrandum, ingeniumque variis exercendum studiis et exacuendum, otiumque per omnia desidiosum fugiendum attentius atque cavendum, expressam Cambriæ totius Mappam, cum montanis arduis et silvis horridis, aquis et fluviis et castellis electis, cathedralibus etiam ecclesiis et monasteriis multis, maximeque Cisterciensis ordinis, copiosa pariter et artificiosa sumptuositate constructis, arcto folio, strictoque valde locello et spatio brevissimo, distincte tamen et aperte declaravi. Post monita vero suscepta, grata plurimum et accepta, maturioribus studiis atque majoribus animum applicando; librum de Principis Instructione, multis auctoritatibus tam philosophicis quam theologicis per exempla pariter et præcepta studioso labore compaginatum, longisque lucubrationibus elaboratum, edere curavi. Item et Gemmam Ecclesiasticam subsequenter, de sacramentis ecclesiasticis saluti animarum pernecessariis, necnon et de clericali continentia, conversationem honestam per capitula plurima, et tam exempla congrua quam præcepta doctrinaliter insinuantia. Item de monasticis ordinibus et ecclesiasticis religionibus variis, librum inter labores grandes fere postremum continuoque triennali studio laboriosius editum; cui Speculum Ecclesiæ titulus non incongrue nomen imposuit, quia quæ vitanda fuerint, et quæ propensius imitanda, quasi speculo dilucido discerni in eo poterunt et perpendi, cum gratia bonorum et dilectione, odio vero malorum et indignatione, digessi. Item et Dialogum, librumque de Gestis Giraldi laboriosissimis, Menevensi ecclesiæ futuris forte diebus pernecessarios. Ex quibus nimirum, etsi conferri non possit de casu præterito medela, plurima tamen elici poterit de futuro cautela. Ad hæc etiam, præter dicta maturioris et provectioris ætatis conamina, minora quædam nec inutilia, quæ mixtim et alternatim, prout res exigebat tam epistolaria stilo prosaico varia, quam metrica quoque compegi carmina. Ad magnorum quoque virorum et auctenticorum instantiam plurimam,

legendas sanctorum vitas emisi. Vitam videlicet Sancti Ethelberti Martyris Herefordensis egregii; Vitam Sancti David Menevensis Archiepiscopi; Vitam quoque Sancti Caradoci, loci ejusdem heremitæ nobilis et presbyteri; item Vitam Sancti Remigii Lincolniensis Episcopi primi; Vitamque similiter Sancti Hugonis, sedis ejusdem Episcopi, de Cartusiensis ordinis carcere feliciter assumpti. Verum ne parvipendantur hæc opuscula minora, si interdum emergant inter majora, sciendum quia signa sunt hæc saltem et argumenta certissima, quod mens, quæ non minora passim loco et tempore recusat opera, sicut nec majora, merito censeri debet laude non indigna. Beatus Ambrosius eodem stilo studioque, quo Sacras Scripturas tam arduas exposuit et explanavit, Vitam quoque Sanctæ Agnetis Virginis et Martyris explicare dignum duxit. Sanctus quoque Bernardus Clarewallensis Vitam Sancti Malachiæ Præsulis Hiberniensis solita stili sui elegantia tractare curavit; eique super altare Clarewallensis ecclesiæ principale, à latere sc. orientali, sepulturam fieri fecit; cui et corpus suum proprium non longe post simili structura lapidea decenter adjungi procuravit. Adjiciendum hoc etiam, et nota non indignum arbitror, quod tam Origenes quam Jeronimus, et Augustinus, quanquam in Sacris Scripturis transferendis pariter et exponendis tam utili labore desudaverint; historias tamen temporis sui plurimas, tam ecclesiasticas sc. quam et alias quoque memoratu dignas, tractare non omiserunt: libros etiam epistolares egregios suis temporibus, qui adhuc extant et multos informant, emiserunt. Lucas etiam Evangelista, postquam Evangelium ediderat, Actus Apostolorum et tanquam itinerarium eorum dilucide pertractando declaravit. Sic et non solum Evangelia, verum etiam Epistolaria scripta, salutiferæ fidelium doctrinæ, necnon et Apocalypsis visione prophetica in inspiratione divina, curis Apostolorum et studiis emanarunt. Quædam igitur oportet facere, veluti sacris utriusque instrumenti paginis, præsertim autem medullis evangelicis, principaliter atque finaliter nisibus totis attentius invigilare; et alia tamen, sicut prælibavimus,

tam epistolaria, cum res exegerit, quam cætera cuncta quoque variis ex causis pernecessaria, nullatenus omittere. Quanquam medullæ carnium interiores, cum ossibus effractis eliciuntur, dulcius sapiant, et fortius enutriant, carnes tamen exteriores supmtæ similiter et consumptæ tam ad usum quam ad esum necessariæ, non inutiles esse reputari debent. Ad historicorum namque commendationem moralis iste philosophus, Seneca sc. historiæ descriptionem talem non inelegantem emisit: Historia est antiquitatis auctoritas, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis. Sciant itaque lividi nostri, quod non vitam hactenus vel desidiosam duxi vel otiosam, nec ullo tempore, per Dei gratiam, dum superesse valuero, ducam; unde secure me senem fatuum atque delirum æmuli vocent, rodant, et lacerent, et latrare non cessent. Ego juxta viri sancti toties dicti monita præceptaque salubria, gratiam stili desuper datam vacuam, Deo dante non relinquam; propter quod in literalibus studiis, et tam theologicis quam philosophicis et historicis, variis vicibus, sicut hactenus feci et consuevi, studiosum animum indesinenter exercens, non solum in his ad posterorum eruditionem zelo caritatis maximo diutius immorari, verum etiam mori, in talem quoque spiritum, cum hora supervenerit, exhalare, desiderabile duxi. Periculosum tamen est hodie, sicut et olim, et calumniosis æmulorum undique depravationibus expositum, scribentis maximeque nova cudentis, officium. Unde moralis ille philosophus egregius, Seneca: Lividi lectoris malitia dictionem sanam et insanam pari revolvit appetitu; non amplius concupiscens electa quæ laudet, quam despecta, quæ rideat. Item et poeta:

Discit enim citius, meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.

Sane cum duplex esse constat doctrinæ genus, aliud enim linguæ labiorumque labore cathedraliter emissum, auribus se applicat auditorum; aliud mentis manusque ministerio, studio videlicet stilique

vicissim et calami officio, literarum nexibus coagulatum, oculis se subjicit inspectorum. Ideoque postremum hoc, tum propter dicta viri sancti monita, quibus resisti ullatenus non decuit nec debuit, tum etiam quoniam istud utilius et diuturnius, quia communius et longævius, mihi doctrinæ genus elegi. Vox enim emittitur, et verba pertranseunt; scriptum vero semel editum et approbatum tenaci longævitate transmittitur ad posteros, et notariorum opera successiva renovatione perpetuatur. Unde cum Origenes et Jeronimus, cæterique agiographi nostri et doctores ecclesiastici multum Christi sponsam modis utrisque, longe plus tamen libris quam linguis, literisque quam labiis, ipsam illustrarunt. Nam patribus nostris, ecclesiæque rectoribus atque doctoribus, nisi tanta studendi scribendique cura fuisset, conceptumque corde thesaurum in scripta redactum posteris præsentandi, in quo nunc ecclesia vel metrice psalleret vel melice jubilaret? in quo vel scismaticis resisteret, vel hæreticis aut etiam inimicis crucis Christi plene et perfecte responderet? Item nisi auctores linguæque Latinæ moderatores tanta diligentia studiis scriptisque suis orbem universum illustrassent; professionis hodie literatoriæ tam celebri frequentia vulgi per ora quid volitaret? Aut etiam quid haberet quod legeret tereretque viritim publicus usus? Sicut in proæmio Gemmæ nostræ Ecclesiasticæ primo plenius super his disputatur. Virilis igitur est animi, mentisque à natura bene dispositæ et industriæ claræ; ut quemadmodum à patribus atque prioribus nostris affatim omnes accepimus, sic et nos jam decessorum nostrorum sicut et præsentium quasi et posterorum quoque studiis aliquid adjiciamus, et saltem cum vidua evangelica in gazophylacium Domini duo minuta mittamus: quatenus tam recte vivendo quam recte scribendo, nostram memoriam longis in ævum spatiis extendamus; et quod satius est longeque sanius atque salubrius, plus per opera bona quam per opuscula vana, præsertim si plausus popularis aucupativa fuerint et appetitiva, de luctu in lucem, de via in patriam, de morte in vitam doloris ignaram et finis nesciam,

felici mutatione gratiæque supernæ benigno favore transferamur. Habeat igitur in studiis librisque nostris multis absque dubio lucubrationibus ad posterorum utilitatem elaboratis; quatenus æmulis nostris ilia rumpantur, et præsens tempus quod laceret, et posteritas quod laudet. Habeat hoc quod lædat, illa quod legat. Habeat hoc quod damnet, illa quod amet. Habeat hoc quod reprobet, illa quod probet. Valeat in Domino cara nobis fraternitas vestra.

Extant hodie in Bibliotheca Cottoniana hæc Silv. Giraldi Opera.

Vide Catalogum nuper editum, A. D. 1802.

1. Silvest. Giraldi Cambrensis liber de Principis Instructione, in tres distinctiones, ut appellat auctor, divisus. Pars prior plane ethica est, in qua tamen multa inseruntur de Romanis imperatoribus. In duabus ultimis distinctionibus agit de regibus Angliæ, et præsertim de gestis Regis Henrici Secundi, in quem, aliosque e Normannica prosapia principes, satyrice invehitur - - - - - p. 8.

2. Silvest. Giraldi Cambrensis Distinctionum libri quatuor. Plura in initio desiderantur, pluraque ibidem lacera - - - p. 37

3. Ejusdem Giraldi Vita: imperfecte. Desunt enim quamplurima capitula, quod ex indice præfixo, cui liber nullatenus respondet, liquet p. 37

4. Liber de divinis officiis venerabilis Bedæ presbyteri, qui Gemma Animæ intitulatur. Titulum habet ψευδεπίγραφον, et Giraldo Cambrensi, ut alibi fit, adscribendus est - - - p. 37

5. Silvest. Giraldi Cambrensis Cambriæ Descriptio, ad Hubertum Cant. Archiep. inscripta: plura desunt quæ habentur in editione Camdeniana; plura etiam hic reperiuntur quæ in laudata editione desiderantur p. 238

6. Silvest. Giraldi Cambrensis Cambriæ Descriptio, ad Robertum Cant. Archiep. In editione Camdeniana hic tractatus Stephano, et non Roberto Arch. Cant. inscribitur - - - - - p. 425

7. Giraldi Cambrensis, de Jure et Statu Menevensis Ecclesiæ, fragmenta; in varias partes codicis, distractis paginis; initium et finis extant fol. 26—36, partes autem nonnullæ intermediæ fol. 1—7 - p. 429

8. Ejusdem tractatus de Illaudabilibus Walliæ - - p. 429

9. Ejusdem Retractationes - - - p. 429

10. Catalogus Librorum ab ipso compositorum - - p. 429

11. Carmina nonnulla elegiaca, epigrammatica, &c. ejusdem, ni fallor, Giraldi; inter hos quoque carmen Magistri Symonis de fraxino Giraldo transmissum - - - - - p. 429

Hæc etiam Silv. Giraldi Cambrensis Opera in Wartoni Anglia Sacra imprimuntur.

1. Vita Galfridi Archiepiscopi Eboracensis.
2. Vitæ Episcoporum Lincolniensium.
3. Vitæ Sex Episcoporum coætaneorum.
4. Epistola ad Stephanum Langton Archiepiscopum Cantuariensem.
5. De Libris à se scriptis.
6. De Descriptione Walliæ Liber Secundus.
7. Retractationes.
8. De Rebus à se Gestis Libri III.
9. De Jure et Statu Menevensis Ecclesiæ Distinctiones VII.
10. Vita S. Davidis Archiepiscopi Menevensis.

ITINERARIUM CAMBRIÆ;

SEU LABORIOSÆ

B. CANT. ARCHIEP. PER WALLIAM LEGATIONIS,

ACCURATA DESCRIPTIO.

IN ITINERARIUM
GIRALDI
PRÆFATIO PRIMA
AD STEPHANUM
CANTUARIÆ ARCHIEPISCOPUM.

Sicut variis rerum motibus et mutationibus tempora moventur, sic diversis morum curriculis temporalium hominum animi trahuntur. Satyricus clamat:

> Mille hominum species et mentis discolor usus
> Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Et illud Comicum; Quot capita, tot sententiæ, suus cuique mos est; unde et quoniam dispares mores disparia studia sequuntur, armata militia tyrones exultant, togata vero causarum patroni delectantur; alii cumulandis divitiis anxie suspirant, et summum bonum opulentiam putant; hi Galenum approbant: illi Justinianum amplectuntur: honorum cupidi curiam sequuntur, et rediviva fame cruciatos graviter sauciat, nec satiat ambitio. Liberalibus artibus nonnulli sed hodie pauci et parvi indulgent; inter quos et Logices alumnos admiramur, qui quum aliquantulum profecti fuerint, tanta studii sui voluptate trahuntur, ut in illis dialecticæ gyris atque meandris plerosque videamus, tanquam ad Syreneos scopulos consenescere; sed

inter tot hominum species, ubi divini poetæ? ubi nobiles morum assertores? ubi linguæ Latinæ moderatores? Quis hodie scriptis sive poeticis seu historicis literatam adornat eloquentiam? Quis, inquam, nostri temporis vel mores astruit, vel inclyte gesta perpetuis literarum vinculis æternitati ascribit? Adeo literarum honor in summis olim gradibus constitutus, quia sic omnia fato in pejus ruere, et retro sublapsa referri, jam proclivis in ruinam, ad ima devolvi videtur; ut earum addicti studiis non solum hodie non imitabiles, non venerabiles, verumetiam odibiles reperiantur. Felices quippe, ut ait Fabius, essent artes, si de illis soli artifices judicarent. Naturaliter enim, ut ait Sydonius, fixum est radicatumque pectoribus humanis, ut qui ignorant artes, contemnant artifices. Cæterum, ut ad priora revertamur, quæ mundo plus contulerunt quæso, arma Mariana, an carmina Virgiliana? Sed olim Marii gladios rubigo consumpsit, qui vero scripsit Æneada, perpetua Maronis extat gloria. Et tamen quanquam literatis sub principibus literæ tunc in honore fuissent, ab ipso scriptum invenies:

————tantum
Carmina nostra valent arma inter Martia, quantum
Caonias dicunt aquila veniente columbas.

Ad hæc etiam utrum fœcundior ac fructuosior extiterit hæsitas, opera Hieronymi an opulentia Crœsi? Sed ubi hodie Crœsi vel nitet argentum, vel rutulat aurum? ubi cœnobitæ pauperis orbem et irradiat studium, et illustrat exemplum? Et tamen cum tantus fuisset Romæ per invidiam, contumelias et verbera passus, ac demum trans mare pulsus Bethlemiticam studio suo solitudinem elegit. Inter hæc ergo, quæ contulimus, hoc distare potest, quod aurum et arma vitam hanc fulcire videntur, post mortem nil valitura. Verum è diverso scripta nihil in vita propter invidiam prosunt, perpetuum à morte sortita valorem. Sicut igitur testamenti, sic et scripti auctoritas mortis atramento confirmatur; juxta illud poetæ:

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit;
Cum suus ex merito quemque tuetur honor.

Et illud:

Denique si quis adhuc prætendit nubila, livor
Occidet, et meriti post me referentur honores.

Præterea; qui facultates, qui sanitates suis artificiis vel conferre vel conservare nituntur, dum alienis tantum scaturiunt verbis, propriis parum gloriantur inventis. Compositores quippe tam ornati sermonis quo tam varii casus in tanto juris corpore tam eleganti stilo complectuntur, perpetuis efferendi præconiis extant. Auctores siquidem elegantium verborum non auditores tantum, repertores non recitatores, dixerim laude dignissimos. Curiam autem, et logicam, tam in alliciendo, quam in vix deserendo persimiles invenies. Dialecticæ tamen notitiam tanquam aliarum omnium tam scientiarum, quam artium acumen, cum moderamine moræ inculpatæ, certum est esse perutilem. Curiam vero nisi blandis solum palponibus, et ambitiosis, non necessariam: nempe si quæstum facis in curia, te tanto fortius allicit, et annectit ambitio non missura cutem, non curiam, nisi plena; sin autem labor in damno est, adhuc tamen annum apponis, et iterum annum anno, et in infinitum, una cum censu tempora perdideris; jacturam temporis quæ irreparabilis est, et omnium major incurris. Curiam igitur et aleam quadam videas proprietate conformes; quoniam, ut ait poeta:

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor
Dum revocat cupidas alea blanda manus.

Levi namque mutatione, haud dissimiliter dicas:

Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
Dum revocat cupidas curia blanda manus.

Hoc etiam adjiciendum puto, quod sicut aleæ sic et curiæ casus

delectu carens, dignis et indignis æque respondet; inter tot igitur hominum species quoniam trahit sua quemque voluptas, et quoniam variis vexantur pectora votis, me quidem scribendi studium eligere posteritatis cura coegit; et quia momentanea et fluxa est præsens hæc vita, juvat saltem in futuro memoria vivere, et perpetuis famæ titulis laudis honore celebrari. Egregiæ namque mentis indicium est, ad illud enitendum elaborare, quo sibi invidiam in vita, gloriam post fata comparaverit. Perpetuum est itaque, quod auctores quodque poetæ principaliter affectant, temporale commodum si forte accesserit non recusantes; sed quia principibus parum literatis et multum occupatis, Hibernicam Anglorum Regi Henrico Secundo Topographiam; ejus denique filio, et utinam vitiorum non succedaneo, Pictavensium Comiti Richardo, Vaticinalem Historiam; vacuo quondam quoad accessorium illud et infructuoso labore peregi. Tibi, vir inclite, Stephane Cantuariensis Archiepiscope, quem religio pariter et literatura commendant, laborem nostrum per horridos Cambriæ fines non illaudabilem, in duabus particulis scholastico stilo tam digerere quam destinare curavi. Virtus enimvero, quia sese diligit, aspernaturque contraria; quæcunque in hoc libello, coepiscopi et decessoris vestri penultimi viri venerabilis et Metropolitani antistitis, veris laudum titulis adscripta reperis, te non minori affectu quam si propria fuissent credimus amplexurum. Quibus expletis, Deo duce vitaque comite, libellum tibi de Principis Instructione promitto; si, sopitis interdum tam orationum instantiis quam occupationum curis, lectioni quandoque vacare potueris, munus acceptum: hos igitur et alios nostræ diligentiæ fructus tuæ degustandos discretioni, suis singulos temporibus destinare proposui; ut te nostra si forte movere nequeunt opera, moveant vel opuscula; moveant, inquam, et tám gratiam eliciant, quam gratum reddant, qui nempe carnali minime motus affectu, in largiendis dextra munifica (quibus excellis beneficiis) non sanguinem, non sobolem, sed literas potius et merita pensas; quem in tanta, tam continua regni sacerdotiique

disceptatione paucis comitatum, Anglicana ecclesia firmum invenit ac fidelem; in quem hodie fere solum et fideliter electum, illa episcopalis viri canonica descriptio cadere videtur et concordare: non itaque pilleum sustinendo, non pulvillum supponendo, non pluviam extrahendo, non pulverem, et si nullus fuerit, excutiendo, sed inter alios palpones tibi scribendo placere constitui. Tibi, inquam, vir præclarissime, vir insignis, vir virorum perpaucorum, vir in quem quicquid fere in terris antistitem decet, incomparabili gratia, tam industria quam natura congessit; et si forte nec tibi in hunc modum placere prævaleam, tum quia lectionis horam tam oratio suffocat, quam occupatio, tum etiam, quia literarum olim honor evanuit; saltem si quandoque resurgat, posteritati.

ALIA AUCTORIS PRÆFATIO

AD EUNDEM.

Quoniam ea, quæ laudabili devotione gesta noscuntur, debitis non indigne præconiis efferuntur; animus quoque, quia si remittitur amittitur, et desidiæ torpor vires enervat ingenii; ferrum situ rubiginem ducit, et capiunt vitium ni moveantur aquæ. Ne stilum ociosum ærugo consumat, devotam Cantuariensis Archiepiscopi Baldvini per Cambriæ fines legationem, literarum monumentis dignum duxi commendare. Loca igitur invia, per quæ transivimus, et tam fontium quam torrentum flumina nominatim expressa, verba faceta, viæque labores, et casus varios; notabiles quoque tam moderni temporis quam antiqui partium illarum eventus; patriæ naturam, naturæque mirandos interdum excursus, patriæ quoque descriptionem, hoc opusculo quasi speculo quodam dilucido, per te, vir inclite, Stephane Cantuariensium Archiepiscope, posteritati præsentavi, ne vel studium ocio depereat, vel laus silentio delitescat.

ITINERARII CAMBRIÆ;

SEU LABORIOSÆ

B. CANT. ARCHIEP. PER WALLIAM LEGATIONIS,

LIBER PRIMUS.

ITINERARII CAMBRIÆ

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

DE TRANSITU PER HEREFORDIAM ET RADNORAM, CUM NOTABILIBUS SUIS.

Anno igitur ab incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo octavo, Apostolatus apicem regente Urbano Tertio; imperante Romæ Alemannorum Rege Friderico; Constantinopoli Isaacio; regnante in Francia Philippo Ludovici filio: in Anglia Henrico Secundo; in Sicilia verò Wilhelmo; in Hungaria Bela; in Palestina Guidone; anno scil. quo Saladinus tam Ægyptiorum, quam Damascenorum Princeps, occulto Dei judicio, sed nunquam injusto, publico belli certamine victoria potitus Hierosolymorum regnum obtinuit, vir venerabilis, et tam literatura, quam religione conspicuus, Cantuariorum Archipræsul Baldvinus, in Salutiferæ Crucis obsequium ab Anglia in Walliam tendens, apud Herefordiæ fines Cambriam intravit.[1]

Accedens itaque Radnoram[2] circa jejunii caput, viro magnifico Ranulpho Glanvillensi præcipuo regis tunc consiliario, regnique totius justitiario eo usque comitatus: Resum Gruffini filium Australis Cambriæ Principem, cum aliis partium illarum viris nobilibus ibidem obvium habuit. Ubi sermone statim super negotio crucis ab Archipræsule publice facto, et per interpretem Wallensibus exposito, primus omnium, ad importunam, quæ præcesserat, regis instantiam, et pollicitis plenam tam Archiepiscopi quam justitiarii regis ex parte persuasionem, qui scripsit hæc (aliis exemplum præbens) se primus erexit, et ad validissimam quoque omnium inductionem, ad pedes viri sancti provolutus, crucis signaculum devote suscepit. Quem illico Petrus Menevensis Episcopus, et Cluniacensis monachus tam imitatus est, quam secutus. Deinde Æneas Æneæ Claudii filius, Elveniæ Princeps, cum aliis multis. Qui statim exurgens, et coram Reso, cujus filiam uxorem habebat, assistens, Vestra, mi pater, inquit, et domine licentia summi patris injuriam vindicare depropero. Resus autem cum certissimo sanctæ peregrinationis proposito, quam cito Archiepiscopus terram suam intraverit reversus, adeo ut per quindecim fere dies de clitellis et saginariis, de sumptibus perquirendis, et clientibus, ceterisque tanto itineri necessariis cum multa sollicitudine disposuisset, donec uxor ejus et communi patriæ vitio in quarto gradu cognata Guendolena scilicet Madoci Pouisensis filia, ipsum à tam nobili proposito (peccatis exigentibus) muliebriter instans penitus avertit. Quoniam, ut ait Salomon, cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus. In ipso vero discessu Resi, cum super his, quæ audierat, suos conveniret, juvenis quidam egregius de familia ipsius, cui nomen Gruffinus, qui postea crucem suscepit, respondisse memoratur: Quis unquam animi virilis peregrinationis hujus iter abhorreat, cum inter universa, quæ excogitari poterunt, ejus incommoda nihil incommodius cuiquam, nihil deterius accidere possit quam redire?

Accesserunt autem ad Resum in reditu suo quidam canonici Menevenses zelo ecclesiæ suæ, majores curiæ, quos sibi allexerant, complices habentes, et fautores: qui ei suggerere modis omnibus nitebantur, ut Archiepiscopum Cantuariensem (quoniam inauditum hoc hactenus fuerat) ad penitiores Walliarum partes, præcipue sedem Menevensem, quæ caput est Walliæ, accedere nullatenus sustineret, dicentes et asserentes eo ipso, si processerit, præjudicium magnum et gravamen in posterum, antiquæ dignitati suæ recuperandæ, et Metropolitanæ sedis honori posse proculdubio provenire. Hæc, inquam, Principi toto conamine suadentes, ob innatam tamen ejusdem liberalitatem et mansuetudinem, ne confusionem viro sancto repulsa generaret, persuadere non valebant.

In crastino vero mane post missæ celebrationem, et Ranulfi Glanvillensis in Angliam reversionem, cum apud Castrum Crukeri, quod quasi duobus à Radnora passuum millibus distat, proficisceremur: juvenis quidam robustus et validus, cui nomen Hector, ab Archiepiscopo super crucis susceptione conventus: Si haberem, inquit, unde uno die comederem, et altero jejunarem, monitis acquiescerem. Die tamen sequente, idem ab Archiepiscopo crucem suscepit. Circa vero vesperam venit Malgo Caduallonis filius, Princeps Meleniæ, qui statim ad brevem Archiepiscopi monitionem, sed efficacem, non absque suorum lachrymis et luctu, crucis signaculo est insignitus.

Hic autem quasi præ foribus mihi notandum occurrit, quod dominatori castri ejusdem de Radnora, tempore Anglorum Regis Henrici Primi, contigit in terra Buelt, non procul abhinc distante, et eidem honori à primo conquestu adjacente. Cum enim ecclesiam Sancti Avani (quæ Brytannice Lhan Avan dicitur) intrasset, et minus caute in eadem cum canibus venatoriis, atque irreverenter pernoctasset, venantium more summo diluculo surgens, canes omnes invenit rabie percussos, ipse quoque cœcus effectus, et nihil omnino videns, ad manum extractus est. Et cum diu postea vivendo tenebrosam semper et tædiosam vitam duxisset, demum se Hierosolymam duci

faciens, ne et interior ei lucerna similiter extingueretur, feliciter procuravit. Cum aliis igitur armatus ibidem, et ad bellicum conflictum vice quadam à suis productus, forti residens equo, animosum inter primos in hostes fidei impetum fecit, ubi et statim ferro confossus diem cum honore clausit extremum.

In provincia quoque de Warthrenion, quæ paucis abhinc stadiis distat, his nostris diebus res accidit non indigna memoratu: dominator enimvero loci ejusdem, Æneas scilicet filius Resi, cum die quodam exire saltibus feras intenderet (puta, qui venationis studio valde addictus fuerat), quidam ex suis arcum tenens cervam exilientem sagitta perforavit. Quæ quidem contra sexus illius naturam inventa est duodecim annorum cornua ferens, et præterea tam in cauda quam alibi plusquam cervi pinguedinem habens. Unde et ob tanti prodigii novitatem Anglorum Regi Henrico Secundo monstri ejusdem caput et cornua sunt destinata. Illud hoc in casu magis stupore dignum occurrit, quod vir ille, qui feram præscriptam sagittavit, mirum quo fato, quove infortunio subita passione percussus, dextrum illico lumen amisit, et eadem hora paralytico morbo correptus, usque ad mortem inutilis omnino et imbecillis permansit.

In hac eadem provincia de Warthrenion, in ecclesia videlicet Sancti Germani, baculus, qui Sancti Cyrici dicitur, invenitur: superius in crucis modum paulisper utrinque protensus, auro et argento undique contectus. Qui quanquam virtuosissimus in omni negotio comprobetur, longe plus tamen ad glandiculas gibbosas et strumas, quæ in humanis corporibus excrescere solent, evacuandas penitus et delendas, speciali quadam virtute præpollet, adeo quidem, ut omnes passim, qui hujusmodi vexantur incommodis, si baculum devote cum unius denarii oblatione petierint, optatam recipiant sanitatem. Contigit autem his nostris diebus, strumosum quendam solum obulum baculo præsentasse, cui per medium illico residens strumosus ille tumor evanuit: et post pusillum postquam alterius obuli relatione debita est oblatio redintegrata, et integra quasi statim curatio est subsecuta.

Item alius ad baculum accedens cum certa denarii promissione curatus est: qui tamen die statuta promissa non complens, pristinum statim incommodum cum confusione recepit: sed ut delicti veniam facilius impetraret cum trium denariorum oblatione, non absque timore magno et devotione beneficium triplicasset, continuo stabilis curationis gaudia recuperavit. Apud Elevein autem in ecclesia de Glascum est campana bajula virtuosissima, quam proprio vocabulo Bangu vocant, quæ et Sancti David fuisse perhibetur, hanc mulier quædam viro suo, qui in castello de Raidergwy, juxta Warthrenion (quod Resus filius Gruffini nostris diebus construxerat), in vinculis tenebatur, ut eum vel sic liberaret, clam allatam supposuit. Sed quoniam castellani non solum ob hoc virum non liberarunt, verum et campanam ipsam violenter captivam quoque tenuerunt, nocte eadem ultione divina totum oppidum præter parietem unum ubi campana pendebat, igne proprio consumptum est. Apud Luel quoque partibus de Brechinia nostro similiter tempore contigit ecclesiam loci ejusdem hostiliter combustam, omnia prorsus intus et extra præter pixidem unam, in qua hostia consecrata reposita fuerat consumpta fuisse. Contigit autem in Elveniæ provincia, quam solum ab Haya flumen Vagense disterminat, duo stagna non modica, nocte quam Anglorum Rex Henricus Primus duxit extremam, à claustris, alteri à natura, et alteri humano labore collatis, subito erupisse: artificiali longius per devexa dilapso, cursuque præcipiti demum, ut mos est, evacuato: naturali vero non ultra duo passuum millia in valle quadam cum prioribus piscibus et accidentibus non absque multorum admiratione perpetua stabilitate statum sortito. Contigit et hac tempestate in Normanniæ partibus, paucis ante obitum Henrici Secundi diebus, ut in stagno quodam non procul à Sagio quasi per quinque miliaria distante apud Oximense castrum, pisces omnes (quibus abundabat) tanto conflictu tam in aqua ipsa, quam extra exilientes nocte quadam congrederentur, ut vicinorum hominum multitudinem ipso collisionis strepitu ad spectaculum evocarent.

Tanto nempe tamque lethali certamine congressi sunt, ut in toto vivario vix unus mane vita superstes inveniretur, miro et inaudito prognostico, multorum morte mortem unius præsagientes. Quanti vero et quam enormes excessus super fratrum et consobrinorum exosculationibus, ob miseras terrarum ambitiones in his inter Vagam et Sabrinam Melenyth sc. Elvein et Warthrenion finibus, his nostris diebus acciderint, satis Walliæ fines memoriter tenent et abhorrent.

ANNOTATIONES IN CAPUT I.

[1] Ut hujus tam legationis quam peregrinationis causa intelligatur, sciendum est, terram sanctam, postquam incredibili Christianorum quorundam principum virtute circa Ann. Domini 1099, ex infidelium manibus erepta esset, atque octuaginta octo annorum spacio non solum fortiter et strenue defensa, verumetiam Christiane et pie administrata: hoc tempore Guidonis Lusignani ambitione, Raimundi Tripolitani Comitis proditione et perfidia, aliorumque principum intestinis dissidiis, in Saladini Damascenorum et Ægyptiorum Regis potestatem, magno Christiani nominis dedecore devenisse. Quod cum ad Urbani Tertii Pontificis Romani aures pervenisset, dolore ex ea clade concepto vitam finiisse dicitur. Unde Gregorius Octavus ejus successor, pro sua propensa in rem Christianam voluntate, per omnes provincias ad ecclesiasticæ functionis viros selectos literas dedit, quibus mandat, ut crucem prædicando, ad Christiani orbis defensionem, et afflictis fratribus opem ferendam, serio indulgentiis propositis (ut Rom. Pontificum mos est) omnes hortarentur, eosque quantum possent ad hoc tam pium bellum allicerent. Ex illorum numero, quibus hoc negotium demandatum erat, hic Baldvinus Cantuariensis Archiepiscopus fuit, qui ea in re omnem suam curam et cogitationem

posuit, gravissimos labores pertulit, hanc Cambriæ peregrinationem suscepit, et tandem ea de causa in Syriam profectus, omnes suas facultates ad sublevandas militum necessitates impendens, ex hoc mundo migravit.

[2] Maesevetæ, inquit Lelandus, olim incolebant orientalem Cambriæ limitem ad sinistram, qua Vaga defluit ripam: à quibus ea urbs Maesevet dicta est, quæ nunc Radnora dicitur. Nomen vero gentis à pratis læta fertilitate luxuriantibus crediderim exortum esse. A tempore Offæ Regis Merciorum longe potentissimi cui lis et simultas erat (ut apparet ex Epistolis Flacci Albini Eboracensis) cum Carolo Magno, cepit luculenta incrementa Herefordia, urbs clarissimi Ethelberti Regis orientalium Anglorum, ac martyris monumento, et gentis prima sedes merito habita est. Ego aliquando legi apud Marianum Scotum, et Rogerum Hovedenum, Maesevetas aliter Masegetas et Magesetas appellatos. Hæc Lelandus.

CAP. II.

DE TRANSITU PER HAYAM ET BRECHEINIAM.

TRANSEUNTES inde versus Brecheinoc, flumine Vagensi transcurso, statim apud Hayam [1] sermone facto, inter multos ibidem cruce signandos, quosdam vidimus qui relictis vestibus, quibus alii ab amicis, alii ab uxoribus retinebantur, usque in castrum ipsum cursim ad Archiepiscopum evaserunt. Mane vero versus Aberhodni iter arripuimus, et verbo Domini apud Landeu seminato, ibidem pernoctavimus. Dicitur autem Aberhodni, castrum et provinciæ caput, ibi situm ubi rivus Hodni in aquam Oscæ devolvitur. Aber enim lingua Brytannica dicitur locus omnis ubi fluvius in fluvium cadit. Landeu vero ecclesia Dei sonat. Archidiaconus quoque loci ejusdem, opus suum non ignobile Hibernicam ibidem Topographiam Archiepiscopo præsentavit; quod ipse gratanter accipiens singulisque diebus obiter ipsum vel legens attente vel audiens, tandem in Angliam reversus lectionem una cum legatione complevit. Ea igitur quæ nostris temporibus his in partibus notabilia contigere, prætereunda non putavi. Accidit itaque pariter ante guerram illam grandem, qua tota fere provincia illa per filios Iestini in exterminium data fuerat, [2] ut lacus ille magnus qui fluvium Leveni ex se transmittit, simul cum ipso fluvio in Vagæ flumen contra Glesbyriam ab ipso descendente, viridissimi coloris inveniretur. Consulti autem super hoc terræ illius seniores quidnam portendere potuisset, responderunt parum ante magnam illam desolationem per Hoelum filium Meredythi factam, similis coloris aquam inventam fuisse. [3] Contigit quoque eadem tempestate capellanum quendam, cui nomen Hugo, capellæ Sancti

Nicholai in castello de Aberhodni deservientem, in somnis vidisse virum quendam venerabilem ei assistentem et dicentem: Dic domino tuo Gulielmo de Breusa, qui prædium capellæ S. Nicholai olim in eleemosynam datum detinere præsumit, verbum istud: Hoc aufert fiscus quod non accipit Christus, Dabis impio militi quod non vis dare sacerdoti. Cum hoc itaque semel, secundo, et tertio ei accidissit, veniens ad loci illius Archidiaconum apud Landu, tam visionem quam verba memoriter retenta (quæ nunquam tamen ante audierat), ei proposuit, ipse vero Augustini statim hæc esse verba dignoscens, locumque scripturæ ubi reperiuntur ostendens, casum quoque in quo Augustinus ibi loquitur aperuit: invehitur enim in decimarum et obventionum seu rerum quarumlibet ecclesiasticarum detentores: et quod eis ibi minatur infra brevissimum tempus huic certissimum est contigisse detentori. Vidimus quippe nostris diebus, et indubitata veritate comperimus, principes ecclesiasticarum possessionum usurpatores, præcipue vero Anglorum Regem Henricum Secundum nostris diebus regnantem, et hoc vitio præ aliis laborantem, modica fermenti massa corrupta, novis ea occasione emersis incommodis, thesauros universos profudisse, stipendiario dantes militi, quæ dari debuerant sacerdoti.

De viro tamen prædicto Gulielmo, videlicet de Breusa, quanquam in hoc plurimum offenderit: quia nihil humanum omnino perfectum: omniumque habere notitiam (ut ait Imperator), et in nullo peccare, potius divinitatis est quam humanitatis. Hoc equidem memoratu dignum censui, quod in omni sermone suo semper dominum anteponere consuevit, dicens: In nomine Domini fiat hoc: ex Dei parte fiat illud: item si Deo placuerit: vel si Deus annuerit: vel per Dei gratiam futurum est ita. Quod autem in hunc modum Deo sit semper totum committendum, ejusque voluntati commendandum, habemus ex Paulo, qui sicut in Act. Apostolorum legitur, valefaciens fratribus dixit; Iterum revertar ad vos Deo volente: similiter et Jacobus in epistola sua adjectiones hujusve: Si Deus voluerit, et vixerimus,

singulis de futuro promissionibus faciendas ostendit, divinæ voluntati et dispositioni cuncta relinquendo. Literas quoque quas varias ad partes veluti dives et præpotens mittere solet, à Deo gratiosis hujusmodi divinæ indulgentiæ verbis onerare seu potius honorare consueverat, ut in tedium plerumque maximum, non solum notariis, verum etiam auditoribus vergi soleat. Singulis etiam notariorum, ut literas omnes divini auxilii verbo concluderent, præter communia stipendia aureum annuatim denarium dabat. Ad hæc etiam ex devotionis abundantia, quoties iter agendo, vel in ecclesiam vel in crucem aliquam, oculos convertit, quanquam in cursu sermonis cum quocunque seu plebeio, seu potente verbum fieret, statim se transfert ad orationes: quibus expletis, à diverticulo repetit orationem. Præterea quoties pueros in via obvios habet, eos illico salutatione præveniens ad reciprocam invitat salutationem, ut sic innocentum benedictio vel extorta cum salutationis eulogio refundatur. Horum etiam omnium et sponsa ejusdem Matildis de Sancto Valerico consuetudinem habuit, mulier, inquam, prudens et pudica: mulier domui suæ bene præposita: mulier non tantum intus conservando, verum etiam extra multiplicando providentissima. Qui utinam ambo tam finalem in tempore fœlicitatem et gratiam quam æternitatis gloriam fuerint ex devotione consecuti.

Accidit etiam in eisdem partibus pueri cujusdam pullos columbinos in ecclesia Sancti Davidis de Lhanuaes à nido subripere volentis, lapidi supposito manum adhæsisse, miraculosa forte sancti illius vindicta avium ecclesiæ suæ indemnitatem procurantis. Cumque tribus diebus et noctibus puer cum parentibus et amicis in ipsa ecclesia coram altari vigiliis, jejuniis, et orationibus institissent, tandem die tertio vinculo divinitus relaxato, manum à lapide virtus quæ ligavit absolvit. Vidimus eundem apud Newbyriam in Anglia manentem, se Menevensi episcopo David Secundo ibidem præsentantem, et transactis ætatum gradibus jam senem ex puero factum, quoniam in episcopi illius diœcesi ista contigerant, sibi hæc accidisse certissima

relatione confitentem. Lapis vero in ecclesiam prædicta pro reliquiis usque in hodiernum diem reservatur, quinque digitorum vestigiis tanquam in cera pressorum in silice comparentibus.

Miraculum autem haud longe dissimile his nostris diebus accidit apud S. Edmundum, mulier miserrima ad scrinium viri sancti quasi sub devotionis obtentu accedere consueta, non tamen afferre quicquam sed auferre parata, argentum et aurum ab aliis oblatum, exquisito furti genere deosculando ablambere solebat, et ore reconditum asportare. Quæ cum semel (ut sæpius consueverat) id fecisset, labiis et lingua feretro firmiter adhæsit, argentumque ingestum divinitus deprehensa palam evomuit, accurrentibus quoque multis admirantibus tam Judæis quam Christianis majori diei parte ut amplior virtus elucesceret et nulli dubium foret, ibi immota remansit et inconvulsa.

Item in borealibus Angliæ trans Humbrum finibus in ecclesia de Hovedene, rectoris ejusdem ecclesiæ concubina tumbæ Sanctæ Osanæ sororis Regis Osredi ligneæ in sedis modum super aream eminenti minus caute insedit; quæ cum inde recedere vellet fixis ligno natibus avelli non potuit, donec accurrente populo scissis vestibus, et corpore nudato, et crebris disciplinis usque ad sanguinis profluvium acriter afflicto, cum lachrymis quoque multis et supplicationibus compunctione sequuta et pœnitentia injuncta divinitus laxata recessit.

De Psalterio quoque Quindredæ sororis Sancti Kenelmi, cujus instinctu interfectus erat, virtus magna nostris diebus emicuit. Cum subcelerarius vigilia Sancti Kenelmi sero apud Winchelcumbe, adventantibus mulierum turbis de vicinia et notitia monachorum ad festum ut solent, cum quadam illarum inter septa monasterii fornicationem incurrit. Qui die crastino ad processionem Psalterium prædictum inter reliquias sanctorum ferre præsumens, completa processionis solennitate reversus in chorum, idem manibus suis firmiter adhærens deponere non prævaluit. Qui stupefactus plurimum et confusus, tandem delictum hesternum ad mentem revocans, confessione

facta et pœnitentia injuncta fratrum orationibus adjutus, et propria compunctione contritus, à vinculo divinitus dato demum absolvi meruit et laxari. Liber autem ille ideo in veneratione magna ibi tenetur: quia cum corpus Kenelmi exanime deferretur et clamarunt turbæ Martyr Dei est, est vere, Martyr Dei est. Respondit Quindreda fratricidii rea et conscia, adeo vere Martyr Dei est, sicut verum est, quod oculi mei super Psalterium istud eruti jacent, ea enim hora Psalterium forte legebat. Et statim oculi ejus ambo à capite divinitus avulsi in librum apertum, ubi et vestigia sanguinis adhuc apparent, ceciderunt.

Præterea de torque quam S. Canauci dicunt, tacendum non censui. Est etenim auro tam pondere et natura quam colore simillimus. Ex quatuor frustris sicut ex rimulis patet; orbiculariter in verticem insectis, artificiose commentus, et capite quasi canino rictuosis hinc inde dentibus extante per medium complexus. Hunc autem pro reliquiis habent indigenæ virtuosissimis, adeo ut hoc coram posito nemo pejerare præsumat. Apparet autem ictus in torque magnus quasi ferreo marculo factus; quidam enim, ut fertur, auri cupidine ductus, cum annulum infringere niteretur vindictam divinitus sentiens, oculo est statim orbatus utroque; et sic quam diu postea vixit, tediosam in tenebris vitam perduxit.

De cornu quoque Sancti Patricii non aureo quidem sed æneo quod in partes istas ab Hybernia nuper advenit, haud dissimile obstupendum: cujus virtus ex fatua et inepta Bernardi presbyteri cornicatione, terribili exemplo in finibus istis primum emicuit: sicut in Hybernica Topographia nostra propalatur.

Campanas bajulas, baculos quoque in superiori parte cameratos, auro et argento vel ære contectos, aliasque hujusmodi sanctorum reliquias, in magna reverentia, tam Hyberniæ et Scotiæ, quam et Walliæ populus et clerus habere solent, adeo ut sacramenta super hæc longe magis quam super evangelia et præstare vereantur et pejerare.[5] Quippe ex vi quadam occulta et his quasi divinitus insita,

nec non et vindicta cujus præcipue sancti illi appetibiles esse videntur, plerumque puniuntur contemptores, et graviter animadvertitur in transgressores. De cornu quoque Patricii hoc equidem notabile censui, qui ad aurem apposito capite foraminis ampliore, dulcisonam audias per se sonoritatem emitti, qualis ex cithara nudata leviter impulsa melodia solet educi.

Contigit autem his nostris diebus eisdem in finibus quod et notabile censui. Suillam silvestrem quia canem forte lactaverat odorisequis naribus sagacem, cujus mamillis apposita fuerat, adultam in ferarum persecutione ad miraculum usque fuisse pervalidam, adeo quidem ut molossis ad hoc natura juvante tam institutis quam instructis, odorum sagacitate longe præstantior inveniretur. Argumentum tam hominem quam animal quodlibet ab illa cujus lacte nutritur, naturam contrahere.

In eisdem quoque finibus, et eodem fere tempore, res accidit prodigiosa. Miles enim cui nomen Gilbertus, cognomen vero Hagernellus, post diutinos continuosque fere triennii languores, et gravissimas tanquam parturientis angustias demum videntibus multis, per egestionis fenestram vitulum edidit. Novi alicujus et inusitati futuri casus ostentum, aut potius nefandi criminis ultricem declarans indignationem.

Præterea ex antiquis et autenticis partium istarum scriptis colligitur, tempore quo Sanctus Elwitus heremiticam apud Lhanhamelach vitam exegit, jumentum ejusdem quo cibaria ipsius deferri consueverant cervo emissario prægnans effectum esse, ex quo et miræ velocitatis equus prodiit, anteriori parte equi naturam præferens, posterius vero in cervum descendens.

Primus Normannorum hanc provinciam quæ tribus Cantredis distincta conseritur Bernardus de Novo mercatu, nova contra Cambriæ cives conquisitione possedit. Hic filiam Nestæ, filii Gruffini, filii Leolini, cujus tyrannis totam aliquandiu Walliam oppresserat, materno Nestam nomine, quam et Angli vertendo Annes vocavere,

sibi matrimonio copulavit: ex qua et prolem suscepit, in qua miles egregius, cui nomen Mahel, hac paternum injuria conquestum amisit. Mater ejusdem contra jugale vinculum adulterinis amplexibus militem quendam adamavit. Quo comperto militem noctu à matre redeuntem filius offensus, flagellatum graviter mutilatumque cum dedecore magno remisit. Mater vero mira facti confusione perculsa, muliebrique dolore anxie concussa, totum in vindictam virus evomuit. Accedens igitur ad Anglorum Regem Henricum Primum, assertione vindice magis quam vera, proposuit, et coram curia publice sacramento corporaliter præstito confirmavit, filium suum Mahelem non à Bernardo, sed ab alio quodam quem secretis et illicitis adamaverat amplexibus, fuisse progenitum; cujus juramenti vel potius perjurii causa, Rex Henricus voluntate magis quam ratione permotus, primævam prædictæ mulieris filiam, quem ex Bernardi semine professa est vere fuisse susceptam, juveni de familia sua et militi insigni, Miloni sc. filio Walteri Constabularii Gloverniæ cum Honore de Brecheinoc nuptui dedit. Qui postmodum ab ejusdem regis filia et imperatrice Romana Matilde Comes Herefordiæ creatus est. Hic prolem egregiam ex eadem uxore suscepit, in qua filii quinque milites insignes, Rogerus, Gualterus, Henricus, Gulielmus, et Mahel, nescio qua vindicta, quave fatalitate sinistra, intempestiva nece, rebus humanis exempti sunt. Et tamen omnes præter Gulielmum sibi invicem sine prole paternam in hæreditatem successerunt. Sic igitur hæc mulier muliebri non degenerans à natura, ut vindici satisfaceret iracundiæ, cum gravi pudicitiæ jactura, cum damno dedecoris atque pudoris, uno eodemque facinore et filium patrimonio et se privavit honore. Nec mirum si mulier innatæ malitiæ morem gerat. Legitur etenim in Ecclesiaste, Virum unum de mille reperi bonum, mulierem non inveni. Et in Ecclesiastico, Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris. Item in eodem, Brevis est viri malicia super maliciam mulieris. Et ut de spinis uvas, de tribulis ficus colligamus, muliebrem describens naturam

Tullius, ait: Viri forte alicujus commodi causa, unum aliquando scelus perpetrabunt: fœminæ vero unius explendæ voluntatis causa, omnia simul scelera perpetrare non formidabunt. Item Juvenalis loquens de mulieribus, inquit:

——nihil est audacior illis
Deprensis, iram atque animos à crimine sumunt.

Et alibi:

——mulier sævissima tunc est,
Cum stimulos animo pudor admovet——

Et in eodem:

——collige quod vindicta
Nemo magis quam fœmina gaudet.

Prædictorum autem fratrum quinque et filiorum Comitis Milonis penultimus ille et postremus hæreditatis possessor, inhumana præ cæteris crudelitate notabilis, adeo in Menevensem Episcopum David Secundum, suasque tam possessiones quam terras et homines desævire statuerat, ut à finibus de Brecheinoc non præsul jam, sed tanquam exul existens, tam Angliam, quam alias diocesis suæ partes frequentaret. Contigit autem interea ut in castro de Brendlais, cum Gualtero de Cliffordia, Mahel hospitio susceptus, ædibus casuali incendio consumptis, lapide à principali turre deorsum cadente percussus in capite lethaliter obrueretur. Et statim missis nunciis prædicto loci episcopo cum festinatione revocato, voce miserabili proclamat: O, pater et pontifex noster, crudelem nimis in me vindictam sanctus vester exercuit, non conversionem peccatoris expectans, sed mortem magis et eversionem accelerans. Et cum hujusmodi verba lugubri lamentatione sæpius ingeminasset, anno dominationis suæ nondum completo, vitam pariter et tyrannidem terminavit, et propriæ præco confusionis expiravit.

Erat autem antiquitus regionis illius quæ Brecheinoc dicitur, dominator, vir potens et nobilis, cui nomen Brachanus, à quo et terra

Brecheinoc denominata est; de quo mihi notabile videtur, quod ipse viginti et quatuor habuisse filias historiæ Britannicæ testantur, omnes à pueritia divinis deditas obsequiis, et in sanctitatis assumptæ proposito, vitam feliciter terminasse. Extant autem adhuc basilicæ per Cambriam multæ, earum nominibus illustratæ; quarum una in provincia de Brecheinoc, non procul à castro principali de Aberhodni, in collis cujusdam vertice sita, quæ Sanctæ Almedhæ ecclesia dicitur, hoc etenim virginis sanctæ nomen extiterat, quæ et ibidem terreni regis nuptias respuens æterno nubens regi, felici martyrio triumphavit. Celebratur autem solemnis ejusdem dies eodem in loco singulis annis in capite cal. Augusti, ubi et eodem die multi de plebe longinquis ex partibus convenire solent; et variis languentes infirmitatibus meritis beati virginis optatam recipere sanitatem consueverant. Illud autem hoc in loco mihi notabile videtur, quod in omni fere solemnitate virginis hujus accidere consuevit. Videas enim hic homines seu puellas nunc in ecclesia, nunc in cœmiterio, nunc in chorea, quæ circa cœmiterium cum cantilena circumfertur, subito in terram corruere, et primo tanquam in extasim ductos et quietos; deinde statim tanquam in frenesim raptos exilientes, opera quæcunque festis diebus illicite perpetrare consueverant tam manibus quam pedibus coram populo representantes. Videas hunc aratro manus aptare, illum quasi stimulo boves excitare: et utrunque quasi laborem mitigando solitas barbaræ modulationis voces efferre: videas hunc artem sutoriam, illum pellipariam imitari; item videas hanc quasi colum bajulando, nunc filum manibus et brachiis in longum extrahere, nunc extractum occandum tanquam in fusum revocare: istam deambulando productis filis quasi telam ordiri: illam sedendo quasi jam orditam oppositis lanceolæ jactibus et alternis calamistræ cominus ictibus texere mireris. Demum vero intra ecclesiam cum oblationibus ad altare perductos tanquam experrectos et ad se redeuntes obstupescas. Sic itaque divina miseratione, quæ peccantium conversione magis gaudet quam eversione, multos ultionem hujusmodi tam videndo quam sentiendo

festis de cætero feriando diebus corrigi constat et emendari. Est igitur hæc terra satis abundans grano; et si quis est defectus in nato, ex Anglicanæ vicinitatis copia affatim suppletur allato, pascuis et silvis, feris et armentis terra fœcunda: fluvialibus quoque piscibus abundat, quos hinc Osca, inde Vaga ministrat: salmonibus etiam et trutis utraque: sed plus illis Vaga, plus istis Osca fœcunda est. Hyemali quoque tempore, Vagæ salmones, estivo vero Oscæ tempestivi reperiuntur: egregiis vero quas et vinbras vocant, sola timallis Vaga fœcunda est; in quorum laudem, quoniam et Mediolani illis abundant, in Ambrosii libris reperitur. Quid, inquit, aspectu pulchrius, quid odore suavius, quid gustu jucundius? Luciis quoque et perchiis trutisque peroptimis, et tenchis anguillisque lutosis, lacus ille de Brecheinoc magnus et famosus (quem et clamosum dicunt) patriam replet; de quo quod parum ante hæc nostra tempora contigit prætereundum non putavi. Tempore namque Anglorum Regis Henrici Primi Gruffino filio Resi filii Theodori, quanquam unius commoti solum, id est, quartæ partis cantredi de Caoc sc. in Cantref Mawr tunc domino, tamen et nobilitate tenus in Southwallia quam Cambri Deheubarth, id est, dextralem Walliæ partem vocant, sub rege principante. Cum idem Gruffinus à curia regis per lacum prædictum fluvialibus diversorum generum aviculis hyemali algore redundantem reverteretur, duces habens et deductores Milonem Herefordiæ Comitem et de Brecheinoc dominatorem, nec non et Paganum filium Joannis, in cujus manu tunc Ewyas fuit, qui duo tunc temporis inter regis secretarios et præcipuos consiliarios pro magnis habebantur. Comes Milo ut aliquem à Gruffino nobilitatis innatæ sermonem eliceret, in hæc verba ludicro magis quam serio prorupit: Antiquum, inquit, verbum et ab antiquo in Wallia retentum est, quod si naturalis Walliæ princeps ad hunc lacum veniens avibus ejusdem præceperit ut canant, statim omnes canent: ad quod Gruffinus plus animo dives quam auro (ob hæreditatis namque diminutionem, nihil unquam animositatis, nihil dignitatis imminuens subjecit): Tu itaque qui terræ istius

nunc dominium geris, primo præcipias: at illo frustra præcipiente, sicut et præcepto Gruffini postea quoque Pagano. Videns Gruffinus ad eorundem instantiam, sibi jam præcipiendi lege consortii necessitatem incumbere; statim ab equo descendens, et in orientem genua ponens, tanquam duelli conflictum ibidem ingressurus, nunc cernuus in terram et humiliter prostratus, nunc oculis ac manibus in cœlum intentus, devotas ad Dominum fudit orationes; tandem itaque se ab orationibus erigens et crucis signaculo frontem ac faciem signans, palam ac publice proclamavit: Deus omnipotens et omnia sciens Domine Jesu Christe, tuam hic hodie declara virtutem.

Quoniam si ex naturalibus Walliæ principibus me linealiter descendere fecisti, avibus istis ut hoc denuncient, in nomine tuo præcipio. Et continuo aviculæ cunctæ, quælibet in suo genere alis expansis aquam verberando, canere unà et proclamare cœperunt. Cunctis autem qui aderant stupidis effectis et consternatis, Comes et Paganus ad curiam statim cum festinatione universi, cuncta per ordinem regi admiratione maxima retulerunt. Quibus auditis rex respondisse memoratur: Per mortem, inquit, Christi (quo juramento uti consueverat) non adeo est admirandum: quia licet gentibus illis per vires nostras magnas injuriam et violentiam irrogemus, nihilominus tamen in terris eisdem jus hæreditarium habere noscuntur. Plurimis quoque (ut accolæ testantur) lacus iste miraculis pollet. Quemadmodum enim viridis aliquoties (sicut præscripsimus) coloris, sic sanguineus aliquando nostris diebus repertus est, non universaliter tamen sed quasi per venas quasdam et rivulos sanguinem manare compertus est. Ad hæc etiam totus ædificiis consertus, culturis egregiis, hortis ornatus et pomeriis ab accolis quandoque conspicitur. Sub bruma quoque glacie constrictus et aquarum superficie in lubricam testam frigore conjecta, sonum horribilem tanquam multorum animantium in unum collectorum mugitum emittit. Sed hoc forte glaciali testudine deorsum residente aeris inclusi, et per fenestras occultas sensim exhalantis, subita interdum et violenta facit eruptio.

Præterea montibus excelsis præterquam à borea hæc undique terra concluditur, à zephiro montana de Cantref Bachan, ab austro montes habens meridionales, quorum principalis Cadair Arthur dicitur, id est, Cathedra Arthuri, propter gemina promontorii cacumina in cathedræ modum se præferentia. Et quoniam in alto cathedra et in arduo sita est, summo et maximo Britonum Regi Arthuro vulgari nuncupatione est assignata. In excelso montis hujus vertice fontis ebullit scaturigo; est autem fons in putei modum altus, sed quadratus, nullum ex se rivulum faciens, in quo tamen et trutæ quandoque (ut fertur) sunt repertæ. His igitur obstaculis ad meridiem appositis, à phebæo patriam fervore frigidior aura defendit, et insita quadam aeris salubritate temperatissimam reddit. Ab euro vero de Talgarth, et Ewyas montana prætendit; quorum incolæ continuis inimicitiis et odio implacabili mutuis vulneribus sanguinem fundere et cædibus insistere non desistunt. Quanti vero et quam enormes excessus super matrimoniis cruentissimis, protractis tamen potius quam contractis, et sanguinolento divortio præpeditis, cæterisque multis crudeliter exactis, hoc nostro tempore finibus istis acciderint, aliis explicare locum damus.

ANNOTATIONES IN CAPUT II.

[1] HAY, Coryletum, Brytannice Trekelhi. Hic eruuntur Romanorum numismata, quæ urbis antiquitatem facile indicant. Leland.

[2] Habetur integra historia de exterminatione filiorum Iestini per Robertum filium Hamonis, et suos duodecim auratæ militiæ viros nobiles, in Historia Cambriæ, nostro labore nuper ædita, et in Breviario Brytannicæ descriptionis, H. Llhuyd, unde hujus loci explanatio petenda est.

[3] De vastatione per Hoelum filium Meredythi, mendosus plane

locus est, qui per Hoelum et Meredythum emendari debet: fuerunt enim fratres, filii Edvini filii Æneæ filii Oeni filii Hoeli Dha; qui cum contenderent cum Leolino filio Sisylli pro Demetico principatu, ingentem Dacorum et Anglorum copiam, sub ductu Edvini fratris Leofrici Merciorum Reguli, ad suum auxilium parantes et Brechinensem provinciam hostilem in modum intrantes, eam misere deturbarunt et vastarunt incendio. Verum à Gruffino dicti Leolini filio victi atque cæsi sunt, præter Hoelum, qui fuga vitavit mortem; sed postea ad confluentem Tywy inito cum eodem Gruffino conflictu cum magna parte suorum cecidit, vide Hist. Camb. Illi qui linguam Brytannicam norunt, facile perspiciunt unde hic error emanaverit. Howelam Meredyth, pro Howel à Meredyth interpretatum esse Giraldum quis non videt?

[4] Joannes Rex Angliæ generali totius regni interdicto pressus, et veritus ne pontifex Rom. aut ipsum nominatim excommunicando, aut suos subditos à fidelitatis sacramento absolvendo majores illi crearet molestias, mandat regni sui magnatibus (quos iniquiore in se animo esse sentiebat) ut obsides illi darent, quibus posset eos in officio continere, si forte per pontificem à sua fidelitate absolverentur. Cum ergo inter alios ab hoc Gulielmo Brusio obsides peteret, Brusii uxor procacitate quadam muliebri, viro suo verba præripiens, nunciis respondit: Nolle se eorum domino filios suos credere, qui Arthurum nepotem suum, quem honorifice tueri et defendere debuisset, turpiter interfecerat. Rex, hoc responso graviter offensus, milites quosdam armatos secreto misit, qui ipsum Brusium unà cum uxore et liberis et universa familia comprehenderent atque ad se deducerent: verum ille ab amicis privatim præmonitus, cum uxore et liberis fugit in Hyberniam: ubi, regis in illam regionem adventu præfata Matildis cum filio suo et ejus uxore capta est, quæ una cum illo in Angliam missa, jubente rege, fame necati sunt. Maritus autem in Galliam fugiens apud Ebulam anno sequenti excessit è vita. Hæc ex Mat. Paris. deprompta Giraldi mentem explanant.

[5] Qua ratione Cambri post veram Catholicæ religionis cognitionem ad superstitiones desciverint, ita ut campanas, baculos, et mortuorum hominum pannicularia vetustate et putredine fere consumpta coluerint et venerarentur, et quid præcipue eos in errore et ignorantia nunc detinet, hic interserendum putavi, ut causa cognita, remedia facilius parentur. Quicunque semel à sincera pietatis professione ad superstitiosas vanitates transilierint, in omnes nugas et aniles fabulas facile dilabuntur, easque mordicus retinent. Cum Augustinus monachus Romanam religionem ad Saxones inveheret, Britanni (qui longe ante Christianam, Josephi Aramathensis et sociorum prædicatione susceperant) illius religionis formam admittere penitus recusarunt, eo quod esset humanis traditionibus atque frivolis ceremoniis plena. At vero cum temporis diuturnitate et docentium negligentia histrionicam illam religionem admisissent, atque traditiones et ceremonias amplexi essent, reliquos regni incolas, reliquiarum veneratione, peregrinationum longinquitate, et miraculosarum fabularum varietate longe superarunt. Et tametsi sanioris judicii homines, reliquorum insaniæ semper reluctati sint, multitudo tamen verbi ignorantia seducta, illas vanitates sequebatur: adeo ut loca quædam peregrinationibus assueta, in hac evangelii luce, usque in hodiernum diem ingenti peregrinantium multitudine singulis annis superstitiose frequententur; ut fons Divæ Venefredæ sacer: fons Dyfnoci in strata Cluydensi: fanum Æneæ regis in Arvonia: fanum Davidis in Demetia, &c. atque hæc omnia veritatis ignorantia et evangelicæ prædicationis inopia contingunt. Nam populus ipse præstantis cujusdam naturæ beneficiò, semper est ad audiendum promptus, ad discendum aptus, et ad obediendum paratissimus: ita ut quicquid hac in re peccatum sit, illud totum pastorum paucitati, qui populum assidue docere debent, ascribendum est, ad quorum sustentationem satis ampla stipendia et redditus ecclesiastici in Cambria habentur, quæ jam in alium usum convertuntur. Nam omnia fere opima sacerdotia et dignitates ecclesiasticæ totius Cambriæ, aut in generosorum

quorundam manibus sunt, quæ eorum voto et devotione mutis conferuntur canibus qui latrare nesciunt, et malunt potius actores esse in fabula pro exiguo, quam spectatores pro nihilo: atque hanc ob causam advocationum beneficiorum nundinationes fiunt, quæ etsi communi decreto non ita pridem abrogatæ sint, ubique tamen vænales prostant, tanquam preciosissimæ merces, et ita artificiose à peritis mercatoribus distrahuntur, ut si Simon ipse hodie viveret, habita cum illis comparatione in sua facultate haberetur indoctus: aut ab illis possidentur, qui non in Cambria sed in aliis regni partibus vitam degunt, quorum quidam sunt in religione tepidi, quidam boni socii, et quidam suo sensu evangelici ferventes. Hi neque animas neque corpora pascunt: modo ipsi lanam habeant, id est, suos redditus statis temporibus domi sibi solutos, nihil omnino de ovibus sunt solliciti, quæ interim in arduis Cambriæ montanis dispersæ et palantes, spiritualis cibi inædia pereunt. Hi tamen in hoc uno scripturas suo more sequuntur, Colligunt enim ubi non sparserunt, et metunt ubi non seminarunt. Cum revera communi juris regula onus honorem sequi debeat, et qui in agro Domini non laborat ex illius agri fructibus non manducet. In illis omnibus sacerdotiis imperiti homines et indocti curati sacramenta et sacramentalia (ut loquuntur) administrant; ubi hospitalitas omnis exulavit, conciones aut raræ aut prorsus nullæ habentur. Atque sic decimæ et oblationes, quæ in eum finem à majoribus nostris institutæ sunt, ut illi ipsi qui eas solvunt, in vera Christi doctrina recte instituantur, ministri qui in verbo et doctrina laborant sustententur, et parochiæ pauperes cibo reficiantur, à recto usu penitus transferuntur in alium; adeo ut pauperes alimentis defraudentur, parochiani ignorantia seducti pro vera Christi religione superstitiones et aniles fabulas amplexentur, atque in omnes idololatricos cultus suo quodam impetu ruant. Sublato enim stipendio tollitur doctrina: nam quis propriis stipendiis militabit, alio interim ordinarium stipendium intercipiente? Subductione veræ doctrinæ ignorantia inducitur: ignorantia autem superstitionem parit.

Nulla enim natio tam fera et agrestis est, quæ non aliquo divini numinis sensu afficiatur. Hinc voluntarius cultus: hinc superstitiosa devotio, cujus matrem ignorantiam esse certum est: hinc hæc ipsa campanarum, baculorum, et reliquiarum reverentia, de qua loquitur Giraldus: hinc etiam hodiernæ peregrinationes de quibus supra dixi originem habent. Præterea hic ecclesiasticorum reddituum abusus alia etiam offendicula secum trahit; nam hinc vera religio male audit apud ignaros et simplices, qui eam propter hos abusus minus probant, ita ut sæpissime audias viros probos ea de causa conqueri et pontificiam religionem laudibus extollere, quia viderant olim ut asserunt cum ea publice doceretur, plurimis in locis rectores ecclesiarum domus habere perhospitales et apertas, ubi pauperes et peregrini refici et curari solebant, in quibus nunc tempore evangelii propter prædictas causas non datur pauperibus poculum aquæ frigidæ: et sic vera doctrina propter insatiabilem quorundam avaritiam blasphematur; quasi hoc ex evangelio manaverit, aut hic siet ejus doctrinæ fructus, et non potius hypocritarum quorundam qui quæstum pro religione habent insatiabilis cupiditas. Hæc si vera non sint, convincar erroris, sin autem vera sint (ut sunt verissima), Deus tempore opportuno ecclesiæ suæ melius providebit. De reliquiis vide ea quæ scripta sunt à venerando sene domino Jo. Foxo in sua responsione ad Osorium lib. iii. pag. 373.

[6] Ego eorum opinioni accedo qui hanc Nestam filiam Gruffini aut illam ipsam aut illius sororem fuisse affirmant, ex qua Fleanchus Banchonis filius Gualterum Stuardum genuit, à qua Scotiæ reges qui hodie regnant originem traxerunt. Sunt qui affirmant Ranulphi Cantabrigiæ Comitis matrem (cujus apud authores mentio fit) hujus etiam principis fuisse filiam, quam ego potius Gruffini filii Roderici filiam fuisse affirmaverim, sororem scilicet Caradoci, de quo scribit Florilegus lib. i. Sed ubi conjecturis et circumstantiis proceditur, suum cuique judicium liberum esto.

[7] Hic Brachanus natus erat patre Haulapho Hybernorum rege et

matre Britannica, nimirum Marcella filia Theodorici filii Tethphalti reguli de Garthmathrin, illius nempe regionis, quæ ab hoc Brachano nomen accepit, et hodie Brechonia vel Brechinia dicitur, Britannice Brecheinoc. Hujus Brachani filia nomine Tydvael uxor fuit Congeni filii Cadelli Powisiæ reguli, et mater Brochmaeli cognomento Scithroc, qui Ethelfredum Northumbrorum Regem ad Devam fluvium interfecit, ejusque copias fudit, circa Annum Domini 603.

CAP. III.

DE EWYAS ET LANTHONI.

Stat autem in valle de Ewyas profundissima, quantum sagittæ est jactus arcu emissæ, montibus ethereis orbiculariter undique conclusa, ecclesia Sancti Joannis Baptistæ, plumbeis laminis operta, lapideo tabulatu pro loci natura non indecenter extructa; in loco videlicet ubi paupercula prius Sancti David Archiepiscopi capella steterat, musco silvestri solum et hedræ nexibus adornata. Vere religioni locus idoneus, et disciplinæ canonicæ præ cunctis insulæ Britannicæ cœnobiis competentissimus, à duobus eremitis in honorem eremiticæ vitæ primo fundatus, ab omni populari strepitu in solitudine quadam longe remotus, super fluvium Hodeni per vallis ima labentis situs: unde ab Hodeni Lanhodeni dictus. Lan enim locus ecclesiasticus sonat, exquisitus tamen dici potest, quod propria loci illius nuncupatio Cambrice est Nanthodeni. Nant etenim rivus dicitur aquæ decurrentis, unde usque hodie ab accolis locus iste lingua Cambrica Landewi Nanthodeni vocatur, id est, ecclesia Davidis super rivum Hodeni.

Corrupte igitur Angli Lanthoni dicunt ubi vel Nanthodeni per N et t, id est, rivus Hodeni, vel Lanhodeni per L sine t, id est, ecclesia Hodeni, dici deberet. Pluviæ quas montana creant hic creberrimæ, venti pervalidi, nebulæ sub bruma fere continuæ; et tamen aeris quanto obtusioris tanto benignioris et clementioris salubri temperantia: morbi rarissimi, adeo quidem ut fratres apud filiam diutino labore consumpti et desperabiliter afflicti, tanquam ad salubre remedium et unicum sospitatis asylum ad matris ubera translati optatæ sanitati restituantur. Nam sicut Hybernica Topographia nostra testatur: Quanto ad euri partes magis acceditur, tanto cœli faciem

quo purior et subtilior, tanto penetrabilior et inclementior aer illustrat: quanto vero ad circii zephirique fines magis vergitur, occiduam temperiem quo nubilior, tanto benignior atque salubrior aura fœcundat. Hic claustrales in claustro sedentes cum respirandi gratia forte suspiciunt, ad quascunque partes trans alta tectorum culmina, montium vertices quasi cœlum tangentes, ipsasque plerumque feras (quarum hic copia est) in summo pascentes, tanquam in ultimo visas horizonte prospiciunt. Hora vero diei quasi inter primam et tertiam super montium cacumina vix emergens et sereno tempore corpus hic solare primo conspicitur. Vere locus contemplationi idoneus, locus fœlix et amœnus, locus à primæva institutione sibi sufficiens et fœcundus, nisi ob Anglicam luxus opulentiam et lautæ mensæ gloriam ambitiosa quadam intemperantia, vitio quoque ingratitudinis invalescente, in servitutem quæ libera fuerat prælatorum pariter et patronorum negligentia jam redacta, non minus invide quam invise matrem filia facta privigna supplantasset. Hic autem mihi notabile videtur quod priores omnes locum de quo loquimur adversantes, flagellati divinitus occubuere. Prior Gulielmus, qui primus armentis et armariis locum spoliavit, demum dejectus à fratribus et depositus, inter priores sepulturam non meruit. Clemens vero, qui quanquam locum lectionis et orationis gratiam diligere et frequentare videretur, tamen ad exemplum Heli sacerdotis, quoniam diripientium et delinquentium fratrum errorem nec reprehendit nec repressit, paralytica passione percussus interiit. Rogerus autem, qui plus cæteris locum infestans, et cuncta quæ ab aliis relicta videbantur palam asportans, libris, ornamentis, et privilegiis ecclesiam ex toto privavit, longe ante obitum paralysin incurrens et honorem cedens, diutino languore consumptus, vitam pariter et valetudinem terminavit.

Tempore vero Anglorum Regis Henrici Primi matre florente tam rerum affluentia quam religione famosissima (quæ tamen duo comitantia raro reperies), filia quippe matris æmula nondum genita, utinam et ab ævo non gignenda, Rogerum Salisburiensem episcopum,

principalem regni tunc sub rege rectorem, huc fama tantæ religionis attraxit. Virtus enim vero est virtutem diligere vel in altero, et magnum innatæ bonitatis indicium, ipsa quæ necdum vitaveris vitia animi judicio devovere. Hic cum aliquandiu loci naturam, heremiticam solitudinem fratrum ibidem canonice viventium, Deoque servientium sine querela, sanctam sine murmure conversationem, in singulis admiratus considerasset, reversus ad regem, relatisque quæ ibi repererat relatione digna, cum maximam diei partem in loci præscripti titulos expendisset, tandem in hoc verbo, laudis præconia consummavit. Quid, inquit, plura, totus tam regis quam regni thesaurus soli claustro erigendo non sufficeret. Cum itaque tam regis quam curiæ totius animos in hujus verbi stuporem diutius suspendisset, tandem de montium claustris quibus undique vallatur ænigma sermonis exposuit. Miles autem cui nomen Gulielmus, qui primus loci inventor fuit et cultor, necnon et præsbyter Ervistus qui se socium ei statim adjunxerat, quoniam juxta Hieronymi sententiam forsitan audierant, sicut in vitis patrum legitur: Christi ecclesiam postquam crevit possessionibus decrevisse virtutibus, de vitiis pariter et divitiis incrementa sumendo: devotis ad Dominum orationibus in publica audientia sæpius efflagitare solebant, ut nunquam ad magnas possessionum opulentias locus iste perveniret: quoties inprimis seu domini et patroni sui Hugonis de Laci primi et primævi, seu aliorum fidelium largitione, tam terris quam beneficiis ecclesiasticis cœpit locus hic locupletari valde dolentes. Plurima quoque tam in prædiis quam in ecclesiis in primis oblata paupertatis amore respuerunt: et in eremo positi ne ab eremitica vita recederent, loci condensa quibus in hispidam silvam vallis excreverat, in planiciem redigi et extirpari non permiserunt. Unde et effectum est ut quam cito in immensum ditari cœperant et dotari: statim per Herefordiæ Comitem Milonem (hostilitatis tamen tempore occasionem præstante), filia apud Gloverniam æmula matris emersit: tanquam divina providentia, meritis quoque sanctorum virorum, et precibus quorum hic corpora duo

coram principali altari recondita jacent, in superfluis rerum fundamentis filia fundaretur: in laudabili quam semper appetit mediocritate matre manente. Ibi igitur activi resideant, hic contemplativi: ibi terrestrium ambitus divitiarum, hic cœlestium amor deliciarum: ibi frequentiam habeant populorum, hic præsentiam appetant angelorum: ibi mundi potentes suscipiantur, hic Christi pauperes reficiantur: ibi inquam actiones perstrepant et declamationes, hic vero lectiones obmurmurent et orationes: ibi vitiorum nutrix atque creatrix cum curis crescat et opulentia, hic virtutis alumna mediocritas aurea suppetat et moderantia: utrinque tamen tam hic quam ibi quæ aliis hodie cunctis præeminet ordinibus, ab Augustino instituta canonica servatur disciplina. Benedicti namque regulam in primæva paupertate laudatissimam, rerum opulentia postmodum fervore charitatis plurimum adaucta, et fidelium largitione multiplicata, sub pravæ dispensationis obtentu crapula jugis et copia corruperunt. Cistersiensis autem ordo spontaneo pristinæ paupertatis et sanctitatis desiderio nuper à priore derivatus, in primis similiter digne laudari meruit et extolli: donec iterum cæca malorum mater obrepsit ambitio, nescia successibus modum ponere. Quoniam, ut ait Seneca, facit quidem avidos nimia fœlicitas, nec tam temperatæ cupiditates unquam sunt ut in eo quod contingit desinant: gradus à magnis ad majora fit et spes improbissimas amplectuntur, insperata assecuti; cui et illud Ovidii concordare videtur:

> Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
> Nec facile est æqua commoda mente pati.

Et illud ejusdem:

> Creverunt opes et opum furiosa cupido,
> Et cum possideant plurima plura petunt.

Item illud Horatii in lib. Carminum:

> Scilicet improbæ crescunt divitiæ,
> Tum curtæ nescio quid semper abest rei.

Et in eodem :

Crescentem sequitur cura pecuniam
majorque fames.

Multa petentibus desunt multa. Bene est cui Deus obtulit parca quod satis est manu ; unde et Lucanus.

——O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares. O munera nondum
Intellecta deûm.

Petronius:

Non bibit inter aquas nec poma fugacia carpit
Tantalus infœlix quem sua vota premunt.
Divitis hic magni facies erit, omnia late
Qui tenet et sicco concoquit ore famem.

Armentis quippe et equiciis montana, porcis silvestria, capris nemorosa, ovibus pascua, pecudibus plana, aratris rura, quanquam revera in se largissima, singula tamen vitio mentis insatiabili videntur angusta. Ideoque terræ occupantur, termini transponuntur, fines invaduntur, unde et nundinæ mercimoniis, et fora litigiis, et curiæ replentur querimoniis. De talibus autem in Isaia legitur: Væ vobis qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ? Si ergo sic invehitur propheta in eos qui usque ad terminum, quid in illos dicetur, qui longe ultra terminos? His igitur ex causis et similibus effectum est, ut veræ religionis color optimus, adeo in falsitatis fucum sit jam conversus, adeo ut nigri interius mores candidis velentur operimentis, adeo inquam interioris olim habitus,

Qui color albus erat nunc est contrarius albo.

Ut de his illud Evangelicum vere videatur impletum: Attendite ab his qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Tantæ tamen et tam declamatæ per orbem aviditatis,

bona ut credimus occasionem præstat intentio. Hospitalitatis namque gratia quam hujus ordinis viri (quamquam in se abstinentissimi) præ aliis cunctis charitate largiflua in pauperes et peregrinos infatiganter exercent: et quia non redditibus ut alii, sed laboribus solum et providentia vivunt: terras tanto conamine, quibus ad hæc peragenda sufficientiam eliciant, avide perquirunt, prædiaque summopere petunt et pascua lata. Veruntamen ad reprimendam et removendam ab ordine sacro detestandam ambitionis notam, utinam illud Ecclesiastici interdum ad animum revocare velint: Qui facit eleemosynam, vel qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui filium victimat in conspectu patris. Et illud Gregorii: Bonus usus non justificat male quæsita. Item et illud Ambrosii: Qui male accipit ut bene dispenset, gravatur potius quam juvatur: tales enim cum Apostolo dicere videntur: Faciamus mala ut veniant bona. Scriptum est enim, talis debet esse misericordia quæ suscipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ reum faciat ante Dominum: de justis laboribus tuis non de rebus alienis. Audi Salomonem dicentem: Honora Dominum de tuis justis laboribus. Quid dicturi sunt qui aliena rapiunt et eleemosynas fecerunt? O Domine, in nomine tuo misericordias fecimus, pauperes pavimus, nudos vestivimus, peregrinos hospitio recepimus. Quibus dicturus est Dominus: Quod dedistis dicitis, quod fecistis rapinam non dicitis. Quos pavistis memoratis, et quos necastis non recordamini. Exemplum autem de responso Richardi Regis Anglorum facto magistro Fulconi viro bono et sancto, per quem Deus in Francorum regno nostris diebus multa proculdubio signa fecit, hic interserere præter rem non putavi. Cum inter cætera vir ille sanctus regi dixisset: Tres filias habetis quæ quamdiu penes vos fuerint nunquam Dei gratiam habere poteritis, superbiam scilicet, luxuriam, et cupiditatem. Cui rex post modicam quasi pausationem: Jam, inquit, maritavi filias istas et nuptui dedi: Templariis superbiam, nigris monachis luxuriam, et albis cupiditatem. Id etiam pro valde mirando de loco præscripto Lanthoni

dicto, vel potius quasi pro miraculo duximus, quod in summis quibus clauditur undique montium verticibus, non petrosis aut saxosis sed mollibus potius et herbosis, Parii lapides reperiri soleant, qui et liberi vulgo dicuntur, quia secabiles ferroque quodam modo polibiles sese quasi liberaliter præstant: ex quibus ecclesia ipsorum jam extat egregie constructa. Super quo quidem et hoc mirandum, quod quæsitis ad unguem per montana lapidibus illis, et ex toto prorsus abstractis nullisque relictis qui reperiri ibidem amplius possent, infra tertium aut quartum diem iterum requisiti tanquam dono seipsos offerentes, et se quærentibus ostendentes copiosa multitudine repe-riuntur. De duobus tamen ordinibus istis, Cluniacensi scilicet et Cisterciensi, hoc compertum habeas, locum ædificiis egregie construc-tum, redditibus amplis, et possessionibus locupletatum istis hodie tradas, inopem brevi destructumque videbis: illis è diverso eremum nudam et hispidam silvam assignes: intra paucos postmodum annos, non solum ecclesias et ædes insignes, verumetiam possessionum copias et opulentias multas ibidem invenies. Hanc autem diversitatem (ut mihi videtur) morum diversitas parit et studiorum. Ut enim salva utrorumque venia veritati non parcam, illinc sobrietas juvat, parci-monia pariter et providentia: hinc vero obest, ventris ingluvies et intemperantia. Illi namque tanquam apes in unum congerunt omnes et congregant unanimitate conspicui, uno omnium existente loculo, et illo bene disposito: isti congesta divinitus, et devota fidelium largitione collata, diversis distrahunt animis et diripiunt indesinenter, multis existentibus et multorum loculis, quibus dum studiosius sin-guli tanquam propriis indulgent, minus proficitur in commune: quoniam, ut ait Sallustius, Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Præterea de tredecim ferculis vel quatuor-decim, quæ sibi de solo consuetudinis jure deberi contendunt, tem-pore famis et inædiæ, priusquam unum ad tempus intermitterent, priusquam unum relinquerent aut à consuetudine vel in modico recederent, terras monasterii meliores et mansiones in fœnebrem

prædam perditum ire, et quod crudelius est, pauperes ad januas catervatim obire permitterent et perire. Illi vero non solum arietes omnes et armenta, grano deficiente, verum et de duobus pulmentis quibus contenti sunt, alterum in usum pauperum, urgente incommodo, laudabili charitate largiuntur. His autem nostris diebus, ut tanquam à niveo corpore nævus abstergatur, in Cisterciensi capitulo statutum est, ne ab hoc unquam in posterum ordine, precio quolibet prædia vel pascua comparentur: tantum illa de cætero sufficiant, quæ gratis obveniunt et absque gravamine conferuntur. Prædictus igitur ordo canonicus plus aliis mediocritate contentus atque modestia, et si non plene, plurimum tamen ambitioni stringit habenas, et in mundo positus, mundi pro posse contagia vitans, nec crapula notabilis nec temulentia pro luxu rerum sive libidine, publicum in populo scandalum incurrere tam verecundatur quam veretur; sicut in libro quem de ecclesiasticis ordinibus Deo annuente scripturi simus, plenius explicabitur. Præscriptis igitur in finibus temperatissimis, et non omen quo ad gazas grande, tragicasque mundi pompas adeptus, juxta usualia tamen vocabula nomen dignitatis obtinui. Collateralem et propinquum principali de Brecheinoc castro loculum habens et domicilium, felici quadam mediocritate studiis idoneum atque labori; quem suis semper delitiis plenum et æternitatis amicum Crœsi divitiis longe prefero; quinimo cunctis quæ perire ac præterire possunt, incomparabiliter antepono. Sed ad rem revertamur.

ANNOTATIONES IN CAPUT III.

Hoc caput in descriptione atque reprehensione vitæ monasticæ totum pene consumitur; quod in omnibus fere exemplaribus mancum atque mutilatum existit, ita tamen ut quod in uno desit, in altero inveniatur. Si quid scriptum erat paulo acerbius contra unam

aliquam monachorum sectam, id omissum est in aliquo exemplari, quod tamen reperitur in alio; et si quid alium ordinem pungat, id desideratur in alio, quod in priori tamen habetur. Verisimile itaque mihi videtur, exemplaria ista à monachis esse descripta, qui id quod contra suum ordinem scriptum invenerant deleverunt. Extitit hæc Baldvini Archiepiscopi visitatio an. 1188, jam quadringentis fere annis elapsis, non diu postquam regularis professio in his nostris regionibus primum inceperat exerceri: si ergo eo tempore tam horrendæ corruptiones in monachorum subsellia irrepserant, quid hunc auctorem si hodie viveret, de tot superstitionibus et idolomaniis aliisque sceleribus in hoc sacro cœtu usitatissimis, scripturum putemus? Persecutiones primæ ætatis (ut scribit Peucerus) causam præbuerunt secessibus et monachatui: postea accesserunt dilacerationes imperii et peregrinarum gentium confusiones. In illa dilaceratione Italiæ et aliorum regnorum, cum videretur esse peculiaris felicitas abesse à republica, procul in aliqua solitudine degere, sine familia, sine liberis, non spectare urbium excidia et vastationem patriæ, homines modesti, qui habebant familias, gratulabantur monachis suam tranquillitatem. Inde crevit et opinio de cœlibatu, et admiratio monachorum, ita ut plures cœperint expetere et quærere secessus. Deinde homines barbari natura, mirantur novos ritus, qui præ se ferunt speciem eximiæ pietatis, et cujusdam quasi commercii cum Deo. Nihil mirum est igitur tunc et monachorum cœtus crevisse, et opiniones de hoc vitæ et operum genere plausibiles late vagatas esse. Postea cum pietati superstitio successisset, et pro evangelii doctrina receptæ essent leges pontificum, collegia quæ fuerant hactenus conventus studiosorum, paulatim ad monachos translata, opes vero collegiorum in luxum superbiæ atque otiosorum hominum voluptates profusæ sunt, scholis abolitis. Docendi autem provincia delegata est familiis monachorum, non Christi sed Benedicti et Bernhardi nomen profitentium, et sectantium (ut jactitant) præcepta. Sed collegiorum exemplum hi quoque sequuti, cum superstitionem quæstuosiorem

docendi laboribus experirentur, literas una cum docendi munere deseruerunt, novam vivendi formam commenti. Redactæ sunt ergo scholasticæ operæ, studiis pene ubique sepultis, post Suevorum imperium, ad novos regni pontificii fœtus, scilicet ad mendicantium monachorum agmina, qui fœcundissimo proventu his postremis annis ubique locorum et gentium, matre superstitione, patre pontificum tyrannide editi, sed diversitate ac dissimilitudine professionis pene infinita, commentis suis orbem compleverunt terrarum, et tyrannidis pontificiæ leges, cum exasperarunt, tum executi sunt acerbius multo quam pontifices ipsi, eoque res tandem perduxerunt, ut ipsis etiam pontificibus formidabiles essent. His doctrinæ custodibus et occiderunt literæ et interiit pietas Christiana, antiquata evangelii doctrina, rectioribus studiis deletis, et superstitionibus ultra modum cumulatis. Nec mirum; nam necesse fuit, in tam numerosa religiosorum multitudine, quamplurima ingenia cum non haberent puram evangelicæ veritatis doctrinam ad quam tanquam scopum collimarent, suapte natura ad vanitates deflectere. Sicut enim ager fertilis, si non colatur et puro grano seminetur, sentes et tribulos affatim gignit: sic ingenia præclara cum semine verbi Dei destituantur, ad superstitiones et inanes ceremonias facillime dilabuntur; unde omnes *ἐθελεθρεσκεῖαι* ortum habent. Monachatus tempore Edgari Regis Angliæ, superstitioso quorundam hypocritarum fuco et importunis Dunstani præstigiis, in hac nostra Britannia cœpit primum in pretio haberi. Hoc cœnobium sive prioratum de Lanthoni circa annum Domini 1108. extruxit Hugo Lacius miles, qui cum Gulielmo Conquestore in Angliam advenerat, et in ecclesia de Webley sepultus jacet.

CAP. IV.

DE TRANSITU PER COED GRONO, ET ABERGEVENNI.

Transivimus inde versus Abergevenni per arctum illud silvestre quod malum passum de Coed Grono vocant, nobile cœnobium de Lanthoni montibus suis inclusum à latere sinistro relinquentes. Dicitur autem Abergevenni castrum eo loco situm ubi fluvius Gevenni in Oscam cadit. Contigit autem paulo post obitum Anglorum Regis Henrici Primi nobilem et magnificum virum Richardum Clarensem, qui cum honore de Clara Cereticam regionem in australi Cambria possidebat, ab Anglia in Walliam hac transire; et cum provinciæ illius tunc dominum Brienum videlicet Gualingfordensem cum militibus multis usque ad passum prædictum socium habuisset et deductorem, tam ipsum invitum in ipso silvæ ingressu cum suis remisit, quam contra ejusdem monita silvam inermis intravit. Ex nimia quoque securitatis præsumptione tibicinem prævium habens et præcentorem, cantilenæ notulis alternatim in fidicula respondentem. Nec mora Wallenses qui adventum ejus exploraverant, Jorwerth scilicet Morgani frater de Caerleon, cum eorundem familia, silvosis è latebris irruentes in improvisos, statim ipso cum suorum multis interempto, præda potiti sunt cruentissima. Ex variis itaque patet rerum eventibus, quam incauta est semper nimia præsumptio et sui negligens; timor enim prospicere futuris admonet, et diligentiam docet in prosperis: audacia vero præcipitanter obrepit, et inconsulta temeritas nescit consilium ducis expectare. Sermone igitur apud Abergevenni facto, plurimisque ad crucem conversis, vir quidam nobilis partium illarum cui nomen Arthenus ad Archiepiscopum versus castellum Oscæ jam properantem humiliter accessit, quod ei

citius non occurrerat veniam petens. Super crucis itaque susceptione conventus, Absque amicorum, inquit, consilio, res hæc fieri non debet. Cui Archiepiscopus: Nunquid ergo cum uxore tua inde consilium habiturus es? At ille vultu demisso verecunde respondit: Ad aggrediendum, inquit, opus virile non est expetendum consilium muliebre: et statim ab Archiepiscopo crucem suscepit.

Super excessibus autem partium istarum creberrimis et cruentissimis, nunc provincialium in castellanos, nunc vice versa vindicis animi talionibus, castellanorum in provinciales, quæ nostris accidêre temporibus aliis explicare materiam damus. Ultimi tamen excessus enormis cædisque cruentæ nostris diebus hic perpetratæ, quam præterire tamen ne scelerosis in exemplum trahi possit satius existimavi, vere auctor extiterat Anglorum Rex Henricus Secundus, Vicecomes autem Herefordiæ Ranulphus Poerius machinator. Sed quamquam turpe ex causa temporalis interdum sequi commoditas videatur, justi tamen judicis libramine pœna sceleris et si differtur, vel in tempore vel post tempus non evitatur, juxta illud poetæ:

Non habet eventus sordida præda bonos.

Cum enim septennali jam spacio in partibus illis pax sequuta fuisset tranquillissima, tandem interemptorum nepotes et filii ex pueris adulti, ex parvis interim majores effecti, ira vindice deferventes, captata domini absentia, intra fruticosa castri ejusdem fossata cum manu non invalida se in insidiis nocte contulerunt: dixerat autem unus eorum (cui nomen Sisillus filius Eudaf) constabulario die præcedente quasi præmuniendo sub risu tamen et ludicro magis quam serio: Hic, inquit, hac nocte intrabimus, ostendens muri ipsius angulum quendam, ubi demissus esse videbatur. Sed quoniam ridendo Dicere verum quis vetat? et quoniam Fas est et ab hoste doceri, constabularius cum familia totam noctem illam in armis et vigiliis usque ad auroram duxit insomnem: sed cum demum labore fatigati et imminentis diei beneficio securitatem adepti, somno se cuncti

dedissent, statim hostes per scalas quas congesserant loco prænotato se muris ingerentes, captis constabulario et uxore sua cum aliis multis, præter turrem principalem et paucos qui in ipsam aufugerant, violenter occupant et incendunt universa, justo Dei judicio, eo quo delictum est loco perpetratum, pœna delicti ex parte secuta. Præterea parum post castri prædicti proditionem, cum juxta Monemutham prædictus Herefordiæ Vicecomes, videlicet apud Landinegat, cum exercitu Herefordiæ castrum erigeret, nocte quadam cum adhuc tenuiter tenebras exuere cepisset,

Tythoni croceum linquens aurora cubile,

summo superveniente diluculo tam à Ventæ quam vicinarum partium juventute, cum interemptorum adulta jam prole, non præoccupati, non desubitari, non adventus hujus ignari: quinimo præscii potius et præmuniti, armati quoque et in turmas ordinati, statim tamen sunt confecti, et inter propria jam fossata repulsi, de potioribus et primis Herefordensis provinciæ militaribus viris cum ipso novem, præter alios multos, lanceis ibidem sunt confossi. De Ranulpho tamen hoc mirandum, quod præter vulnera quæ lethaliter in corpore suscepit plurima, cum ferro quoque jugulatus fuisset, venis omnibus et arteriis cum via spiritus, et halitus organo pariter præcisis, sacerdotem tamen annuens et asciscens, aliquo revera anteactæ vitæ merito id exigente, eoque præcipue ut creditur, quod in sortem Christi electos, præ aliis honorare consueverat et venerari, facta confessione, et viatico devote percepto, statim spiritum exhalavit. Frequens est, et creberrimis declaratum experimentis, quod sicut debito clerum honore dignantes sacerdotali, in extremis solatio ex consuetudine gaudent, sic è diverso cleri derisores et malignos delatores eodem solatio frequentissime fraudari, tametsi optato. Gulielmus autem de Breusa, qui vere non auctor sceleris, quod potius tacere decrevimus quam exprimere, non machinator extiterat, sed executor, vel executionis non impeditor, carnificum turbis mandato desuper

accepto atrociter desævientibus, eodem conflictu in imum fossæ præruptæ est præcipitatus, ibique ab hostibus, et viris inimicissimis captus et extractus, vivus tamen divina miseratione per impetum subita à suis factum, et omnino illæsus evasit. Ex quo patet, quia minus offendit, mitiusque punitur, invitus qui facit, fierive permittit, quam qui facto consilium simul et auctoritatem adhibuit: quod in Christi passione palam fuit, ubi et Judas suspendio, Judæi excidio pariter et exterminio, Pilatus exilio, pœnas luit.

Prædicto vero de rege, qui proditioni assensum præbuit, et præceptum fecit, qualiter ob hæc et alia multa enormis vitæ delicta, sicut in lib. De Principis Instructione Deo duce propalabimus, ad ampliorem ignominiæ cumulum, in terris pœnas inchoavit confusione plenus et ærumna, finis ejusdem declaravit.[2]

Hoc autem mihi notabile videtur, quod gens hæc, quæ Venta gens vocatur, et Martiis conflictibus usitatissima, et strenuitatis opera laudatissima, et arte sagittandi præ ceteris Cambriæ finibus instructissima reperitur. Ad hujus autem assertionis ultimæ certitudinem exempla proponere non pigeat. In extrema castri prædicti expugnatione nostris diebus perpetrata, militibus duobus in turrim cumulato terrarum aggere sitam per pontem transfugientibus, Wallenses ut ipsos à tergo percuterent, sagittas arcu mittentes portam turris iliceam, palmaris fere spissitudinis transpenetrarunt, ad tantorum ictum vehementiæ perpetuam memoriam sagittis in porta ferro repercusso reservatis. Accidit et tempore Gulielmi de Breusa (ipso testante) quendam militem suum in conflictu contra Wallenses à quodam ipsorum per mediam coxam cum panno loricæ ocreali ferro utrinque vestitam sagitta percussum esse, eadem quoque sagitta per partem illam sellæ, quæ alva vocatur, usque ad ipsum equum lethaliter transpenetrante. Alia quoque sagitta militis alterius coxam ferro similiter utrinque munitam cum panno loricæ usque in sellam perforavit; et cum miles ille loris equum in gyrum flecteret, alio sagittam eodem contorquente, in opposita coxa similem ictum

suscepit, equo ab utraque parte firmiter affixus. Quod ergo à balista tormentum majus expectes? Non autem arcu utuntur corneo, non alburneo, non taxeo, solum ex ulmellis silvestribus arcus formant, non formosos, non politos, imo rudes, prorsus et informes; rigidos tamen et fortes; non tamen ad eminus missilia mittenda, sed ad graves cominus ictus percutienda tolerandos. Sed à diverticulo iter iterum aggrediamur.

ANNOTATIONES IN CAPUT IV.

Videtur Giraldus parum candide de Henrico Rege sentire, qui tamen ubique (nescio qua animi propensione motus) Gulielmi Breusii Brechiniæ domini scelera ita literis mandat, ut quædam minuat aut excuset, alia de industria prætermittat, ut ex hoc capite et præcedente manifestum est. Illic enim ex quadam usitata loquendi et scribendi consuetudine, debitæ obedientiæ suo regi denegatæ crimen extenuat, et quodammodo diluit: hic integram, perpetrati ab eodem Breusio sceleris, historiam prætermittit, commemoratis tantum quibusdam circumstantiis, quibus illius proditionis et cædis culpam in alios transferre molitur. Res vero acta hæc est: Postquam Resus filius Gruffini Demetiæ princeps, cum Henrico II. Anglorum Rege apud Claudiocestriam stabilem firmamque pacem fecerat, omnesque ejus provinciæ nobiles regi reconciliaverat, ita ut certa pax et tranquillitas restitutæ tandem viderentur, Gul. Breusius Brechiniæ dominus (cædes et rapinas cogitans) nobiles quosdam Ventanos sub amicitiæ et benevolentiæ simulatione, ad prandium invitavit in castrum de Abergevenni, quo cum omnes advenissent, statim ab armatorum militum multitudine, quos ea de causa in insidiis ibi collocaverat, crudeliter trucidati sunt; inter quos Sisillus filius Dunvallonis (vel filius Eudaf, ut hic auctor habet) et Gruffinus filius ejus, atque multi

alii ceciderunt. Hac cruenta cæde perpetrata, hi immanes lanii in Sisilli domum, quæ non longe aberat, irruentes, Claudiam vel Gladusiam ejus uxorem, Resique sororem una cum Cadualadro filio infante è domo violenter attraxerunt, et quod magis horrendum est, puerum in conspectu matris exquisito crudelitatis genere jugularunt. His tamen non obstantibus mavult noster Giraldus Henricum Regem et Ranulphum Poerium hujus crudelissimæ cædis et turpissimæ proditionis insimulare, quam Breusium, qui hoc nefandum crimen perpetraverat, sicuti plane scriptum reliquit Matthæus Parisiensis, cujus verba, quia Neoterici quidam ejus sententiam mutilantes, hujus proditionis et cædis turpitudinem suis scriptis diluere nituntur, adscribere non gravabor: Eodem, inquit, anno Gulielmus de Breusa, multitudine Wallensium in castello de Bergavenni callide convocata, prohibuit, ne quis gladium ferret viator vel arcum; sed illis hujusmodi decreto contradicentibus, capitali omnes sententia condemnavit. Qui (ut proditionis suæ nequitiam, quasi sub velamine honestatis palliatam intelligas) hæc fecit in ultionem avunculi sui Henrici de Hereford, quem ipsi in sancto sabbato Paschæ antea peremerunt. Hæc ille.

Illud tempore hostilitatis et belli, cum neutra pars alteri fideret, factum est: hoc autem scelus pace jam jurejurando utrinque firmata, sub amicitiæ specie committitur.

[2] In libro illo, De Principis Instructione, acerbe admodum in Regem Henricum Secundum invehitur Giraldus, ubi suæ in illum malevolentiæ virus ita evomit, ut suum inveteratum odium satis manifeste prodat.

CAP. V.

DE TRANSITU PER OSCÆ CASTRUM ET LEGIONUM URBEM.

Igitur apud Oscæ castrum tam ad Archiepiscopi sermonem, quam ad viri boni et honesti Gulielmi Landavensis Episcopi, qui per suam diocesin nobis fideliter astitit, persuasionem, Alexandro quoque Banchorensis ecclesiæ Archidiacono, ubique ad Wallenses interprete existente, multitudo virorum cruce signatur. Ubi et hoc præcipue notabile occurrit, quod famosissimi partium illarum malefactores, homicidæ, prædones, et fures non absque multorum admiratione sunt conversi. Transeuntes inde per Caerleon,[1] Monemuthæ[2] castrum, nobilemque Danubiæ[3] sylvam, quæ ferinam ferrique copiam Gloverniæ ministrat, trans Vagam, citraque Sabrinam, longe à læva relinquentes, in Novoburgo,[4] ter Osca flumine jam transcurso, pernoctavimus. Dicitur autem Caerleon urbs legionum; Caer enim Britannice urbs vel castrum dicitur: solent quippe legiones à Romanis in insulam transmissæ ibi hyemare, et inde Urbs Legionum dicta est. Erat autem hæc urbs antiqua et autentica, et à Romanis olim coctilibus muris egregie constructa. Videas hic multa pristinæ nobilitatis adhuc vestigia: palatia immensa aureis olim tectorum fastigiis Romanos fastus imitantia, eo quod à Romanis principibus primo constructa, et ædificiis egregiis illustrata fuissent; turrim giganteam; thermas insignes; templorum reliquias, et loca theatralia muris egregiis partim adhuc extantibus, omnia clausa. Reperies ubique tam intra murorum ambitum, quam extra, ædificia subterranea; aquarum ductus hypogeosque meatus; et quod inter alia notabile censui, stuphas undique videas miro artificio consertas,

lateralibus quibusdam et præangustis spiraculi viis occulte calorem exhalantibus. Jacent hic duo nobiles, et post Albanum et Amphibalum, præcipui Britanniæ majoris protomartyres, et ibidem martyrio coronati, Julius scilicet et Aaron,[5] quorum uterque ecclesiam in urbe insignem habebat suo nomine decoratam. Tres enim egregiæ in hac urbe antiquis temporibus fuerunt ecclesiæ. Una Julii martyris, virgineo Deo dicata regularium choro venustata; altera vero beati Aaron socii ejusdem nomine fundata, et canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia vero metropolitana sede Cambriæ totius insignita. Fuit et Amphibalus hinc oriundus, beati Albani doctor et fidelis ad fidem informator. Situs urbis egregius super Oscæ flumen, navigio mari influente idoneum; silvis et parcis urbs illustrata. Hic magni illius Arthuri famosam curiam legati adiere Romani, ubi et Dubricius Archiepiscopus David Menevensi cessit honorem, abhinc Meneviam metropolitana sede translata,[6] juxta illud Merlini Ambrosii vaticinium: Menevia pallio urbis legionum induetur, &c.

Non procul inde stat rupis marina Sabrinis supereminens fluctibus, quæ Anglorum lingua Gouldclyffe vocatur, hoc est, rupis aurea, eo quod aurei coloris saxa præferat sole repercussa, miro fulgore rutulantia:

Nec mihi de facili fieri persuasio posset,
Quod frustra tantum dederit natura nitorem
Saxis, quodque suo fuerit flos hic sine fructu,

si foret, qui venas ibidem et penitima terræ viscera arte prævia transpenetraret; si foret, inquam, qui de petra mel eliceret, et oleum de saxo. Multa nimirum occulta latent naturæ beneficia, quæ per incuriam hactenus incognita posterorum educet cura propensior et diligentia; nam sicut antiquos in humanæ vitæ commodis inveniendi viam ipsa necessitas urgens edocuit, sic junioribus industria sedula plurimum contulit, et ingenii perspicacioris acumen

multa modernis aperuit. Quoniam, ut ait poeta, duas inventionum istarum causas assignans:

——labor omnia vincit
Improbus, et duris urgens in rebus egestas.

Notandum autem, quod in his urbis legionum partibus fuit diebus nostris vir quidam Cambrensis, cui nomen Melerius, futurorum simul et occultorum scientiam habens, cui talis hanc eventus scientiam dedit. Nocte quadam scilicet Ramis Palmarum, puellam diu ante adamatam obviam habens loco amœno, et ut videbatur opportuno, desideratis amplexibus atque delitiis cum indulsisset, statim loco puellæ formosæ formam quandam villosam, hispidam et hirsutam, adeoque enormiter deformem invenit, quod in ipso ejusdem aspectu dementire cœpit et insanire. Cumque pluribus id annis ei durasset, tandem in ecclesia Menensi meritis Sanctorum loci ejusdem, optatam sanitatem recuperavit. Semper tamen cum spiritibus immundis magnam et mirandam familiaritatem habens, eosdem videndo, cognoscendo, colloquendo, propriisque nominibus singulos nominando, ipsorum ministerio plerunque futura prædicebat. In longe vero futuris atque remotis (sicut et ipsi) frequentius fallebatur, in propinquioribus autem et quasi infra annum futuris minus falli consueverat. Videbat autem eos fere semper pedites et expeditos, et quasi sub forma venatorum, cornu à collo suspensum habentes, et vere venatores non ferarum tamen nec animalium, sed animarum. Circa monasteria quoque, et loca religiosa magis eos et in multitudine majori videri solebat; ibi nimirum exercitu: ibi numerosis opus est viribus, ubi rebellio. Quoties autem falsum coram ipso ab aliquo dicebatur, id statim agnoscebat, videbat enim super linguam mentientis dæmonem quasi salientem et exultantem. Librum quoque mendosum, et vel falso scriptum, vel falsum etiam in se continentem inspiciens, statim, licet illiteratus omnino fuisset, ad locum mendacii digitum ponebat. Interrogatus autem, qualiter hoc nosset, dicebat

dæmonem ad locum eundem digitum suum primo porrigere: similiter et dormitorium monasterii cuilibet intrando, lectum monachi falsi, et religionem habitu, non animo præferentis, eisdem indiciis ostendebat; dicebat autem spiritum gulositatis et crapulæ supra et infra sordidum esse: spiritum vero libidinis et luxuriæ pulchriorem aliis, sed fœtidissimum.

Contigit aliquando, spiritibus immundis nimis eidem insultantibus, ut Evangelium Johannis ejus in gremio poneretur, qui statim tanquam aves evolantes omnes penitus evanuerunt: quo sublato postmodum, et historia Britonum à Galfrido Arthuro tractata experiendi causa loco ejusdem subrogata, non solum corpori ipsius toti, sed etiam libro superposito longe solito crebrius et tediosius insederunt. Notandum hoc etiam, quia Barnabas, sicut in legenda ejus habetur, Evangelium Matthæi super ægros ponebat, et curabantur; ex quo patet, sicut in præmisso, quantæ dignitatis et reverentiæ sacrosancti evangelii liber existat; et super eundem quisquis scienter pejerat, quam periculose et damnabiliter à via veritatis exorbitat. Ad hæc autem casum Abbatis Enoci de Strata Marcella satis et plusquam satis per Wallias notum eadem die, cujus nocte contigit, multis aperuit. Sicut ex dicto ejusdem ab aliis retento, circiter octo dies post certis rumoribus evidenter apparuit. Interrogatus autem quemadmodum hoc sciebat, dicebat dæmonem sub venatoris expediti specie mane ad ipsum venisse, qui statim ruinam Abbatis exponendo, qualiter ipsum à monasterio cum moniali aufugere fecerit, quasi de tanta victoria gaudens plurimum et exultans, totum evomuit. Forte ad correctionem Abbatis et humiliationem hoc ei accidere permissum est. Sicut ex post facto claruit, qui brevi reversus, et humilior eoque melior effectus, nec divertisse dicendus: quia non male cadit (ut ait Seneca) quisquis post lapsum fortior resurgit. Fortior etenim post negationem Petrus; fortior post lapidationem Paulus; et quoniam ubi abundat delictum, ibi superabundabit et gratia. Fortior quoque post fragilitatem Magdalena. Abbati quoque

de Alba domo Conano viro probo et religioso, quid de muliere quadam quam aspexerat, cogitasset, in aure revelavit; et statim vir bonus concupiscentiam illam cum lachrymis fatendo, à tribus sacerdotibus incontinentiæ disciplinam suscepit. Sicut etenim hostis ille antiquus longis rerum experientiis et subtilitate naturæ ex signis quibusdam conjecturalibus argumentando de præteritis argute futura conjectat: sic et indiciis haud dissimilibus hominibus insidiando, interiorem mentis conceptum per exteriora quandoque perpendit.

Fuit in eodem tempore in Ventæ inferioris finibus dæmon incubus, qui puellam quandam adamando, locumque, ubi ipsa manebat, frequentando, cum hominibus loquebatur, et tam occulta quam futura pluries indicabat. Interrogatus autem inde Meilerius, se hunc bene nosse dicebat, et nomen ejus proponebat. Dicebat enim et contra guerram patriæque turbationem magnam, spiritus immundos cum hominibus conversari solere, sicut et hic apparuit, quia paulo post partes illæ per Hoelum filium Jorverti de urbe legionum, provinciam totam graviter infestantem, destructæ sunt. Eadem vero tempestate cum Anglorum Rex Henricus Secundus (capto Albaniæ Rege) regnum subito pacificasset, prædictus Hoelus per guerram quam fecerat regiam plurimum timens ultionem, hujusmodi à Meilerio in majori angustia consolationis verba suscepit: Ne timeas, inquit, Hoele, regis indignationem, quoniam ad alias eum partes intendere oportebit. Urbs etenim melior quam in transmarinis habet jam à Rege Francorum obsidetur. Unde ad partes illas postpositis omnibus aliis quanta poterit festinatione transibit. Cujus rei eventum in urbe Rothomagensi obsessa infra triduum post, certis rumoribus Hoelus accepit. Proditionem quoque castelli de Osca, quod Hoelus occupatum detinebat, longe ante prædixit, et dominum suum Hoelum scilicet inde præmonuit: se etiam ibidem esse vulnerandum, sed non lethaliter, vivumque ab oppido evasurum præcecinit. In hoc solo deceptus, quia sic amicos hostis ille beare novit: sic suos in fine

remunerare consuevit: quod eodem vulnere paulo post lethaliter occubuit.[7]

Inter hæc autem omnia admiratione dignissima hoc solum censui magis admirandum quod oculis carneis spiritus illos tam aperte videbat, quia spiritus oculis corporalibus nisi assumptis corporibus, videri non solent. Si vero corpora, ut videri possent, assumpserant, ab aliis quoque præcipue præsentes et prope positi quomodo videri non poterant? Sed forte corporali visione miraculosa visi sunt hi, cujusmodi visione Rex Balthasar in Daniele vidit manum scribentis in pariete, Mane, Techel, Phares, hoc est, appensum, numeratum, divisum, qui et eadem nocte regnum pariter et vitam amisit. His autem in finibus nostris quoque diebus cœco dominandi ambitu, rupto consanguinitatis et consobrinorum fœdere, fides quam enormiter in perfidiam avanuerit, diffuso per Walliam pravitatis exemplo, Cambria non ignorat.

ANNOTATIONES IN CAPUT V.

[1] Osca fluvius rapidissimus, cujus ortus est in nigro monte, hanc urbem alluit, quem Romani scriptores Iscam vocant, unde hæc urbs Iscelegia Latinis dicitur. Appellatur autem Britannice Caer Lheon ar Osyc, quod est urbs legionum super Oscam fluvium, ad differentiam alterius urbis legionum super Devam, quæ vocatur Caer Lheon ar Dhowrdwy.

[2] Monemutha nomen sortitur à casu Monæ confluentis in Vagam, quasi os Monæ.

[3] Danica sylva nemus est in extremo angulo inter Sabrinam et Vagam confluentes, à Danis (quos et Dacos vocant) nomen habens, qui Alfredi Regis tempore hanc sylvam occupantes hoc illi nomen indiderunt.

[4] Novum Burgum, Britannice y Castelh Newyth, novum castellum Lelando.

[5] De Julio et Aarone sic scribit Baleus in Catalogo Scriptorum Majoris Britanniæ: Julius et Aaron famigeratæ legionum urbis cives præclari, et Amphibali martyris, in Christo discipuli, pietatis ornamenta plane illustria in Britannia fuerunt. Non solum in sua patria literis obnixe invigilabant, sed et exteras regiones pro bonis artibus addiscendis petebant; Romæque potissimum studuisse leguntur. Inde insigniter eruditos fuisse illos Britannica passim narrat Historia: et Giraldus illud idem in Hodœporico suo confirmat, adjecto etiam nobilitatis calculo. Hi tandem cum aliis utriusque sexus non paucis (ut auctores sunt Gildas Badonicus in Excidio Britanniæ, Galfridus et Ponticus in chronicis) magnanimitate summa in acie Christi perstantes, martyrium infractis animis pertulerunt. Unde et Bedas cap. 7 primi libri Anglicanæ Historiæ, post Albani mentionem hæc scribit: Passi sunt ea tempestate Aaron et Julius, legionum urbis cives, aliique utriusque sexus diversis in locis perplures, qui variis cruciatibus torti, et inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ civitatis gaudia perfecto agone miserunt. Et ista fiebant anno Christi 292, regnante in Britannia Constantio Chloro, sub cujus postea regimine, cum Imperator esset, à tanta clade ita immunes ejus urbes erant, ut asylum Christianis afflictis tutissimum foret illa ipsa Britannia. Refert Johannes Rossus Warwicensis in libro suo de Wigorniensibus Episcopis, magnum in Britannia Christianorum numerum, quod prædictum Amphibalum prædicantem audiverit, impiorum telis occubuisse, in loco, qui post adventum Saxonum in insulam ab eventu Lichefelde vocatus est, id est, cadaverum campus. Sævitia (inquit Georgius Major) et furoribus Dioclesiani vehementer labefactata est Christiana religio in gente Britannorum. Ea enim labes, teste Gilda, ita mortales generatim corrupit, ita Christianam religionem exinanivit, ut illa admodum in paucis integra remanserit. Hinc Tertullianus magnus ecclesiæ doctor ante aliquot

annos opportune dixerat, in opere suo contra Judæos: Britannorum inaccessa Romanis loca, vero Regi Christo esse subdita. Doctrinam (inquit prædictus Major) et veros cultus ab Apostolorum discipulis acceperunt Britanni, cujus puritatem passim in omnibus ecclesiis magno studio ac martyrio tuebantur. Hæc ille.

[6] De hac sedis translatione, tradunt autores, Davidem Xanti Ceretica provinciæ reguli filium ex Melaria virgine vestali genitum diutina prædicatione et disceptationibus publicis Pelagianam hæresin ex Britannica ecclesia profligasse; atque ob id à Dubricio urbis legionum archipræsule factum esse Cambriæ metropolitem, archipræsulatu illi resignato: qui cum Arthuro Britannorum Rege ita egit, ut illius voluntate ab urbe legionum ad suam Meneviam archiepiscopalem sedem transferret, ut Ranulphus Cestrensis monachus fusius tradit, lib. i. cap. 52, ubi omnes Cambrorum episcopi ab archiepiscopo Menevensi sacrati sunt, usque ad Normannorum adventum. Curavit etiam ut sui nominis titulum ea sedes haberet, ita ut fanum Davidis deinceps vocaretur. Qua de re vide infra lib. ii. cap. 1.

[7] Variæ sunt dæmonum ludificationes, quibus simplicium hominum credulitate et ignorantia abutentes, in æternum eos exitium protrudere moliuntur: improbi etiam homines (Augustino teste) malarum rerum cupidi, occulto quodam judicio divino traduntur illudendi et decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus atque decipientibus eos prævaricatoribus angelis, quibus ista pars mundi infima, secundum pulcherrimum rerum ordinem divinæ providentiæ lege (ut scribit Wierus) subjecta est. His enim portentis per diabolorum fallaciam illuditur curiositas, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione competit eis investigare. Hæc potestas immundis spiritibus ideo datur, ut perniciosos sibi aptent: hoc est pravos homines seducant: illos scilicet qui spernunt veritatem, et credunt mendacio, juxta Pauli sententiam: Sanam doctrinam non ferent, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur,

onerati peccatis: ducentur variis desideriis, semper discentes, nunquam ad scientiæ veritatem pervenientes. Hos Paulus filios contumaces vocat, in quibus agit spiritus ille, cui potestas est aeris, eludens subtilitate et dolo inevitabili hæc sua instrumenta in ipsius inductiones propendentia. Vide ea quæ scribuntur ab Olao Gotho in fine libri tertii de Gentibus Septentrionalibus; et apud Augustinum lib. ii. de Civitate Dei, in secunda parte, caus. 26. q. 5 episcopi.

CAP. VI.

DE TRANSITU PER NEWBURGUM ET CAERDYF.

Apud Novumburgum itaque ubi Oscæ flumen ab originali de Cantrefbachan fonte descendens in mare dilabitur, ad crucis obsequia multis allectis, fluvio Remni transcurso, ad nobile super aquam Taf de Caerdyf castrum pervenimus.[1] Serpit autem in Noviburgi finibus, terra scilicet de Gwentlwc, rivulus cui nomen Nant Pencarn, non tam aquarum profunditate quam alvei concavitate, palustrique limositate, non nisi certa per loca vadaque transmeabilis: habuerat autem antiquitus vadum, cui nomen Ryd Pencarn, ad quod publica strata ducebat. Sonat autem Latine vadum sub capite rupis; Ryd enim Britannice, vadum Latine; Pen caput; Carn rupis. De quo Merlinus Silvestris mentionem faciens, in hæc verba prorupit:[2] Cum fortem lentiginosum in dextrales Britones irruere videris, si Ryd Pencarn transierit, Cambriæ vires noveris enervari. Contigit autem nostris temporibus cum Anglorum Rex Henricus II. in Resum Gruffini filium arma sumeret, et per maritimam dextralis Cambriæ viam versus Caermardin tenderet, die quo Nant Pencarn transire debuerat, antiqui partium illarum Britones circa prædictum vadum cum summa sollicitudine principis adventum observabant: scituri pro certo, quoniam et fortem noverant et lentiginosum, si vadi transitus concordaverit, de ipso proculdubio vaticinium esse complendum. Cum igitur rex ad prædictam aquam via duce festinasset, et vaticinali veterique vado dudum obsoleto, ad aliud ejusdem aquæ vadum (quod modernior usus frequentaverat) jam transire parasset, tybicines et buccinatores, quos Cornhiriet vocant, ab hir, quod est longum, et cornu, eo

quod longis in cornubus flatum emittant, ex altera vadi ripa quasi regi exultantes in ejusdem honorem buccinare cœperunt. Unde cum equus in quo rex sedebat præ timore tam horribilis et insueti sonitus calcaria respuens, aquam intrare prorsus abnueret, rex lora regyrans, ad antiquum vadum se conferre ira prævia deproperavit, quo statim impetuose transcurso, Britones eo experimento, quasi de imminente jam excidio mœsti ad propria sunt reversi. In castro quoque de Caerdyf contigit his nostris diebus res memoratu non indigna. Claudiocestriæ namque comes Gulielmus Roberti comitis filius, qui cum castro prædicto totam provinciam de Gwladuorgan, i. e. terra Morgani, jure hæreditario possidebat,[3] cum quodam homine suo, cui nomen Yvorus agnomen Modicus erat, forte guerram habuerat, erat enim vir staturæ modicæ, sed animositatis immensæ. Wallensium more montana quædam et silvestria possidens, quæ tamen illi comes vel auferre prorsus vel mutilare contendebat. Nocte igitur quadam quanquam castrum de Caerdyf murorum ambitu munitissimum excubiarum multitudine personaret: quanquam militibus centum et viginti, nec non et archariis multis, stipendiaria quoque plurima urbs redundaret; inter tot tamen præsidia et securitatis argumenta, prædictus Yvorus scalis allatis clam muros irrepens, comitem et comitissam cum parvo quem unicum habebant filio secum educens, ad silvestria perduxit, nec remisit, donec quicquid injuste ablatum fuerat, et ampliora recuperasset: teste namque poeta:

Spectandum est semper ne magna injuria fiat
Fortibus et miseris: tollas licet omne quod usquam est
Argenti atque auri, spoliatis arma supersunt.

In hoc eodem oppido de Caerdyf Anglorum Rex Henricus Secundus in reditu ab Hibernia, sabbato primo post Pascha cum pernoctasset, missaque mane dominica scilicet jam audita, cum à capella Sancti Pirani præter regem omnes exissent, ipso in orationibus plus solito tunc forte morante: tandem cum exiret, et ad ostium capellæ jam

equum ascenderet, astitit ei vir quidam ante faciem, poste quodam præfixo, quasi propodio fungens, flavus, tonsuraque rotunda, vultus macilenti, staturæ aliquantulum proceræ, ætatis quasi circiter annos quadraginta, tunica indutus alba usque ad calcum pedis demissa, zona præcinctus, et pedibus nudis, qui et regem in hæc verba quasi Teutonice convenit: God hold ye cuinge; quod Latine sonat, Deus te custodiat rex; et postea eadem lingua prosecutus est in hunc modum: Salutat vos Christus, et pia mater ejus, Joannes quoque Baptista, et Apostolus Petrus, mandantes vobis, quatenus per totas ditioni vestræ terras subditas, ne mercatus dominicis diebus fiant, firmiter inhiberi faciatis, et quod illis nihil uspiam operis fiat, nisi divinum officium, et illud devote facere et audire, præter cibaria solum, quæ ad usum diurnum præparentur. Quod si feceritis, nihil unquam inchoabitis quod fine bono non compleatur, vitamque feliciter consummabitis. Rex autem militi, cui nomen Philippus de Mercros, qui frenum equi tenebat, dixit lingua Gallica: Quære à rustico, utrum hoc somniaverit. Et cum Anglice miles exponeret, subjecit ille lingua priori: Sive hoc somniaverim sive non, vide quis hodie dies sit, loquens Regi, non interpreti; quia nisi hoc feceris, vitamque maturius emendaveris, priusquam annus iste prætereat, tales de re, quam plus in mundo diligis, rumores audies, talemque turbationem inde recipies, quæ tibi usque ad exitum vitæ non deficiet; et cum Rex hoc dicto equo calcaribus monito, parum versus portam et quasi passibus octo processisset, lora regyrans: Vocate mihi, inquit, bonum hominem illum; et cum miles prædictus, et juvenis quidam, cui nomen Gulielmus, qui soli tunc in oppido cum rege remanserant, illum vocassent, et non inventum primo in capella, deinde per aulam et diversoria cuncta quæsiissent, nusquam comparuit. Rex autem eo non reperto, cum tamen diutius eum solus in oppido dum alii quærerent, expectaret, mœstus plurimum et plangens, quod amplius ei loquutus non fuisset, versus Novumburgum per pontem de Remni iter arripuit. Sicut autem comminando vir ille promiserat, sic anno contigit non

completo ; filii namque ipsius tres, primævus sc. Henricus, et alii duo, Pictavensis sc. et Brito post ipsum, in quadragesima sequente ad regem Francorum Ludovicum discesserunt. Unde tanta mota est ei inquietatio, quantam antea nunquam habuerat, et quæ semper ei usque ad extremum spiritus halitum, per aliquem filiorum fere incessanter perduravit. Multas et alias præmonitiones et castigationes rex iste divina miseratione (quæ magis conversionem peccatorum appetit, quam eversionem) circa eadem tempora et fini propinquiora suscepit, quas tamen omnes animo obstinato et corde indurato incorrigibilis omnino contempsit: sicut in lib. De Principis Instructione (Deo propitiante) plenius ostendetur.

Distat autem non magnis abhinc spaciis insula modica in Sabrini maris littore sita, quam accolæ Barri, à nomine Sancti Baroci loci ejusdem olim cultoris, sic dicta ; cujus et reliquiæ in capella ibidem sita, hederæ nexibus amplexata, in feretrum translatæ continentur. Ab hujus etiam insulæ nomine viri nobiles maritimarum australis Cambriæ partium, qui eidem insulæ cum terris finitimis dominari solent, sunt denominati. A Barris scilicet primo agnomen, postea cognomen de Barri suscipientes. Est autem hic notabile, quod in ipso insulæ introitu in rupe marina apparet rimula permodica, ad quam si aurem apponas, audies operæ strepitum quasi fabrilis: nunc follium flatus, nunc marculorum ictus, nunc cotis et ferri sonora fricamina, stridentesque cavernis stricturas calybum et hanelum fornacibus ignem. Ceterum haud difficile credendum ex aquis marinis occulte subintrantibus sonum hujusmodi provenire posse, ubi quoniam non minus retrogradis et refluis fluctibus vacuato prorsus littore continuatur, quam repleto.

ANNOTATIONES IN CAPUT VI.

[1] Caerdyf Britannice hodie Caerdhydh vocatur, sed corrupte. Lelandus antiquarius Caerdaf appellat, à Taf fluvio præterlabente nomine indito: condita autem urbs est à Roberto Claudiocestrensi Comite, Henrici Primi filio notho, qui Matildem filiam et hæredem Roberti filii Hammonis, qui jure gladii (ut postea dicturi sumus) Morganniam provinciam obtinuit, conjugem habuit.

[2] De Merlino Silvestri, et ejus vaticiniis vide infr. lib. ii. cap. 8.

[3] Morgannia Britannice Guladvorgan, id est, provincia Morgani, sic dicta (ut Galfridus et Castoreus habent) à Morgano rege in ea regione cæso à consobrino suo Cunedagio ante Romam conditam: vel potius ut ego non sine ratione conjicio à Morgano cognominato Mwynuawr, qui tempore Edgari Regis Angliæ, illius regionis dominus existens, plurima bella cum Saxonibus gessit, de quo memoriæ proditum est, illum à suis subditis ita diligi, ut eo ad bellum proficiscente, omnes qui arma ferre possent illum ultro sequerentur: nec ullus in universo ejus exercitu inveniretur, qui domini sui causa mortem oppetere recusaret. Hic abavus fuit Gurguntii patris Jestini illius, qui à Roberto filio Hammonis universa hujus regionis hæreditate spoliatus fuit; cujus Roberti filiam unicam et hæredem solam (ut ante diximus) Robertus nothus Henrici Primi Claudiocestriæ Comes duxit, ex qua hunc Gulielmum suscepit.

[4] Tres fuerunt hujusmodi admonitiones Henrico Regi de vita sua corrigenda factæ. Prima est hæc, de qua hic mentionem facit noster Giraldus. Secunda facta est à quodam Hibernico, qui eum admonuit, ut mores corrigeret suos, secretiorum quorundam signorum adjectione usus, ut fidem sibi apud Regem acquireret. Tertia cum Rex in Normanniam trajecisset, miles quidam de Lindesey, cujus

nomen erat Philippus de Estreby, ad illum accedens, sequentes septem articulos ad regale ejus officium pertinentes ei proposuit, videlicet:

1. Si Catholicam Christi religionem foveret.
2. Si leges justas et æquas statueret.
3. Si neminem tametsi reum sine legitimo judicio condemnaret, quæ tria in sua inauguratione interposito juramento voverat.
4. Si terras et possessiones, quas justis hæredibus minus juste abstulerat, iterum restitueret.
5. Si justitiam sine donis et muneribus subditis suis administrari faciat.
6. Si ministrorum et militum stipendia debite persolvantur, ita ut ab injusta populi expilatione abstineant.
7. Si denique Judæos, qui gravioribus usuris universas ejus subditorum opes depeculabantur, è suis ditionibus expelleret: fore prosperum et gloriosum reliquum ejus vitæ cursum, eumque ad septennium usque regnaturum, crucemque sacram ab infidelibus esse vindicaturum dicebat: sin autem vitæ et morum suorum emendationem negligeret, anno quarto illum cum ignominia esse moriturum affirmabat.

CAP. VII.

DE SEDE LANDAFENSI, ET MONASTERIO DE MARGAN, CUM PARTIUM ILLARUM NOTABILIBUS.

Igitur in crastino crucis (apud Landaf) negotio publice proposito, astantibus hinc Anglis, inde Wallensibus, ex utroque populo plurimis ad crucem allectis, ea nocte ibidem cum episcopo loci ejusdem Gulielmo viro discreto et honesto, moram fecimus. Sonat autem Landaf ecclesia sita super Taf fluvium, quæ et ecclesia Sancti Teileau ejusdem olim episcopi nunc dicitur. Mane ergo missa in ecclesia cathedrali principalique altari ab Archipræsule celebrata, statim versus nobile Cisterciensis ordinis monasterium de Margan, per cellulam de Ewenith iter incunctanter arripuimus. Erat autem monasterium de Margan præ aliis cunctis ordinis illius per Cambriam locis, præsidente tunc viro literato et discreto Abbate Conano, charitativa largitione laudatissimum: unde et aliquoties gravi ingruente famis articulo, certum noveris, et indubitata veritate compertum, ob immoderatam largifluæ charitatis abundantiam, quam in peregrinos et pauperes infatiganter exercuerat, deficiente aliquoties farre penuque, sensibile fuisse divinitus augmentum appositum, tanquam lecythi oleum, Elisei beneficio pauperi mulierculæ multiplicatum. Circa prima vero fundationis tempora, juvenis quidam de finibus illis genere Cambrensis, terras quasdam monasterio datas acriter sibi vendicans, et in usus proprios redigere parans, post multas infestationes demum instinctu dæmoniaco grangiam monachorum optimam blado refertam igne combussit: et statim amens effectus per patriam discurrere cœpit rabie plenus et insania, nec ab errore

cessavit, donec à parentibus captus fuerat atque ligatus; porro ruptis mane vinculis, fatigatisque custodibus ad monasterii denique portam evasit, clamans incessanter, et ululans, se monachorum ministerio totum intrinsecus igne comburi; et sic planctu miserabili vociferando spiritum infra paucos dies exhalavit.

Contigit autem ut ab alio quodam juvene in hospitum aula verberato statim in crastino divina ultione sequuta injuriosus ille ab hostibus interimeretur, et eodem aulæ loco, quo fuit injuria sacræ domui et fratribus astantibus irrogata, exanime corpus extenderetur. His quoque nostris diebus ingruente famis inedia, et maxima in pauperum turba quotidie ad januam jacente, de communi fratrum consilio ad charitatis explendæ sufficientiam propter bladum in Angliam navis Bristollium missa est. Quæ cum diutinam ibidem vento contrario moram fecisset: die quo in monasterio tam ad usus pauperum quam monachorum annona deficere debuit, nave non redeunte, sed locum potius miraculo dante, contigit, ut campus prope monasterium per mensem et amplius, ante commune maturationis tempus, et antequam messis aliqua per patriam meteretur, cum multorum admiratione subito maturus inveniretur. Unde tam fratribus quam pauperum turbis sufficientem usque ad autumnum alimoniam divina miseratio ministraret. His igitur et nonnullis aliis virtutum signis, locus Deo acceptus diligi à cunctis cœpit et venerari.

Accidit autem his nostris diebus, quatuor Caradoci filii Iestini filiis, et Resi Principis ex sorore nepotibus his in finibus herili portione (sicut Wallensibus mos est) pro patre dominantibus; Morgano videlicet et Meredytho, Oeno et Caduallono, quod per invidiam et Cainiticam malitiam (quæ jam inveterasset) iterum renatam, Oenum fratrem Caduallonus interemit: nec mora; divina ultione subsecuta, cum castrum quoddam hostiliter invasisset, muri subito super ipsum facta ruina minutim confractus interiit, inter tot tam sui quam fratrum suorum exercitus viros, dignas perpetrati facinoris et fratricidii pœnas luens solus miserabiliter extinctus occubuit.

Accidit hic quoque res memoratu non indigna; leporarius enim prædicti Oeni, magnus et pulcher, et mira varietate discoloratus, septem vulnera sagittis et lanceis corpore perforato, non absque tamen plurima hostium et homicidarum caninis morsibus laceratione, in domini defensione suscepit; qui et postea Anglorum tunc Regi Henrico Secundo vulneribus recenter in cicatricem obductis, à Comite Claudiocestriæ Gulielmo, ad tanti tam egregii facinoris ostentum est transmissus. Præ omni namque bestia plus hominem canis et diligit et dinoscit: qui et interdum sublato domino vivere recusat, et pro domino mortis subire discrimina non formidat; igitur et mori pro dominis et commori dominis est paratus. Unde et exemplum unum, quod Suetonius tangit in libro, qui de animantium naturis inscribitur: et Ambrosius quoque in Exameron narrat, hic interserere non superfluum reputavi. Ferunt Antiochiæ in remotiore urbis parte crepusculo necatum virum, qui canem sibi adjunctum haberet; miles quidam prædandi studio minister necis extiterat: tectus idem tenebroso adhuc diei exordio, in alias partes concesserat; jacebat inhumatum cadaver; frequens spectantium vulgus astabat; canis questu lachrymabili domini deflebat ærumnam: forte is, qui necem intulerat, ut se habet versutia humani generis, quo versandi in medio auctoritate præsumpta, fidem assereret innocentiæ, ad illam circumspectantis populi coronam accessit, et velut miserans appropinquavit ad funus. Tunc canis sequestrato paulisper luctu doloris, arma ultionis assumpsit, atque apprehensum tenuit, et velut epilogo quodam miserabile carmen immurmurans, universos convertit in lachrymas: probationem detulit, quod solum tenuit è plurimis, nec demisit. præsertim cum nec odii neque invidiæ aut injuriæ alicujus poterat objectione, crimen illatum evacuari.

Ob tantam igitur tam vehementem homicidii præsumptionem (milite tamen constanter inficiante) judicatum est, duello, rei certitudinem experiri. In campo itaque constitutis, et vulgi circumstante corona, hinc cane dentibus armato, illinc baculo cubitali milite

munito: tandem cane victore victus homicida succubuit, et ignominiosam publico patibulo pœnam dedit.

Refert Plinius, refert et Solinus, regem quendam studio venationis non mediocriter deditum, cum ab hostibus aliquando captus fuisset et incarceratus; quia canes dilexerat, per caninos demum regionis illius exercitus ad montana et silvestria per se sponte sequestratos, et inde tam in homines quam in armenta et pecudes impetus faciendo, et atrociter desæviendo, demum absque alio quolibet necessariorum juvamine modo mirando liberatum; et præterea, ea quæ de canum natura experientia didici, oculisque meis plerumque conspexi, explicabo. Canis in rebus agnoscendis, dominoque præcipue, quem forte veluti in turba per aliquantulum tempus amiserit, plus naribus quam oculo credit. Primum etenim in domino seu ductore perdito reperiendo, oculis inspicit, deinde nares ad certius investigandum vestibus apponit: quanquam totas infallibilis experientiæ vires eidem in naribus natura plantaverit. Item, medicinam portat lingua canina, sicut e contra mortem lingua lupina. Unde et sicut vulneribus canis lingendo medetur, sic vulnera lupus lingua corrumpit. Canis autem si vel collo vel capite, vel alia quavis corporis parte, quo linguam flectere non valeat, vulnus accepit: pede posteriori linguæ beneficium quasi nuntio fideli, transfert ad læsionem.

ANNOTATIONES IN CAPUT VII.

Mira sunt quæ de canum natura apud probatissimos auctores reperiuntur; ut illud apud Plinium libro viii. c. 40. Cum ex causa Neronis Germanici filii in T. Sabinum animadverteretur, quamdiu in vinculis erat detentus, canis ejus, quem à catulo nutriverat, à carcere nunquam abigi potuit, eoque postea ad scalas Gemonias deducto, gementium more latrando semper domino astitit, miranti-

busque hominibus panem quem illi aliquis obtulerat, non manducans ori domini admovebat: qui posteaquam in Tiberim projectus fuit, in amnem statim dominum secutus, caput ejus ex aqua ut poterat, elevabat, donec ipse ab aquis suffocaretur. Nec dissimile est quod reperitur apud Tzetzem Chil. 3, de cane Silonii centurionis Romani in prælio interfecti, qui domini sui corpus à feris et avibus defendens, illud donec sepulturæ traderetur non deseruit. Cum Lysimachus interfectus esset, corpus humi stratum, et ab omnibus derelictum, canis domesticus plurimum contendens et decertans, ab avibus ferisque illæsum tamdiu præstitit, quoad Phorax quidam Pharsalicus advenit, qui illud cremandum de more curavit; cum autem in rogum accensum injectum est corpus, canis in flammam se conjecit, et una cum illo igne absumptus est. Auctor est App. in Syriac.

CAP. VIII.

DE AVENNÆ ET NETH FLUVIIS TRANSCURSIS. DE ABERTAWE QUOQUE ET GOER.

Profecti abinde, non procul à Margano, ubi sabulosi littoris et maris influentis alternæ incipiunt vicissitudines, Avennæ fluvium sub plurimo tamen reflui maris moramine transvadavimus; et inde versus Neth fluvium via maritima festinantes, primævum Carodoci filium Morganum ducem et prævium habuimus. Accedentibus itaque nobis ad aquam præ aliis australis Cambriæ fluviis vivi sabuli periculis, totumque subito, quod ingeritur absorbentis inaccessibilem, inter clitellarios multos, qui via versus mare venerant inferiore, unus quem solum qui scripsit hæc ibidem habebat, quanquam medius in turba conferta incederet, solus tamen quasi in abyssum descendit. Sed demum tamen non absque sarcinæ detrimento librorumque laboriosa simul et periculosa juvenum opera vix extractus evasit. Quanquam igitur partium illarum principem Morganum viæ ducem haberemus, sub periculo tamen multo plurimorumque lapsu ad aquam pervenimus: per sabulum quippe absorbens contra ducis monita nos viæ insolitæ festinare coegit, et timor addidit alas: cum per hujuscemodi pericula (sicut ibi didicimus) sit potius incessus moderata maturatione temperatior. Sed quoniam quolibet menstruo maris incremento, amnis illius vada mutantur, quolibet nubigero imbrium augmento non reperiuntur, pluvialibus inundationibus exuberantibus undis: navigio non vado transvecti sumus, monasterio de Neth[1] à dextro relicto, iterum Meneviæ partibus appropinquantes, et Landavensis ecclesiæ diœcesim (quam apud Abergavenni intravimus) post terga relinquentes.

Accidit autem his nostris diebus Menevensi Episcopo David Secundo hac iter agente, et vado recenti maris influentis procella turbato, Capellanus quidem de finibus illis Rotherch scilicet, agnomine Falcus, quoniam transeundarum fuerat gnarus aquarum, vadi prætentandi periculum Episcopo præcipiente suscepit. Sed cum equum ipsi grandem et fortem, et ex toto comitatu ad hoc fideliter electum præsbyter ascendisset, vado statim transmeato: quoniam suspensionis sententiam nuper incurrerat, ad ipsa quæ non procul aberant silvestria fuga maturata se proripuit: nec revocari ullatenus potuit, donec sumpta securitatis et indemnitatis cautione: hinc equus, et illinc missa restitueretur.[a]

Intrantes itaque provinciam quæ Goer dicitur, in castro de Sweynsei, quod et Cambrice Abertawe vocatur, id est, casus Tawe fluvii, pernoctavimus. Mane vero post missam populo convocato, plurimisque ad crucem allectis, vir quidam partium illarum ætate provectus, cui nomen Cadorus, ad Archipræsulem accedens, eum in hæc verba convenit: Domine, si mihi pristinæ vires suppeterent, et juventutis elapsæ robur adesset, laudabilem quem prædicas laborem, nec ulla mihi eleemosyna redimere, nec ullius desidiæ torpor posset adimere: verum quoniam desiderabilem hanc gratiam ætas mihi debilior, deteriorque dies invidit (quippe, sic multa ferunt anni venientes commoda secum: multa recedentes adimunt) si beneficium corporis vexatione consequi plenum non sufficio, decimarum tamen omnium, quæ possideo, largitione consequi valeam, vel semiplenum. Et sic ad pedes Archiepiscopi provolutus, et cum largo lachrymarum fonte genua ponens in manu ejusdem ad crucis obsequium, rerum suarum omnium decimas assignavit, et ab eodem dimidiam injunctæ pœnitentiæ remissionem impetravit. Cum autem hoc facto paulisper seorsum recessisset, reversus in hanc sententiam prorupit: Domine, si voluntas informat actionem, et ipsa plerunque pro facto reputatur, cum mihi hoc iter agendi sit plena et firma voluntas, residuæ partis pœnitentiæ relaxationem peto, et insuper renovato beneficio

decimarum mearum de residuo summam adæquabo. Subridens ad hoc Archiepiscopus, devotam viri subtilitatem cum admiratione est amplexatus.

Eadem vero nocte monachis duobus cubiculariis Archiepiscopi super his, quæ acciderant, viæque periculis ad invicem conferentibus, dixit unus eorum: Provincia dura est ista: alter autem æque facete respondit: Quinimo nimis hesterna die mollis inventa est: altero ad asperitatem patriæ, altero vero ad sabuli molliciem sermonem referente.

Parum autem ante hæc nostra tempora accidit his in partibus res memoratu non indigna, quam sibi contigisse præsbyter Elidorus constantissime referebat. Cum enim puerilis innocentiæ duodecimum jam ageret annum, quoniam, ut ait Salomon, Radix literarum amara est, quanquam fructus sit dulcis: puer literis addictus, ut disciplinam subterfugeret, et verbera crebra præceptoris, in concava fluvii cujusdam ripa se fugitivus occultavit: cumque ibidem bis sole revoluto jejunus continue jam latitasset, apparuerunt ei homunculi duo staturæ quasi pigmeæ, dicentes: Si nobiscum venire volueris, in terram ludis et deliciis plenam te ducemus: annuens ille surgensque secutus est prævios per viam primo subterraneam et tenebrosam usque in terram pulcherrimam, fluviis et pratis, silvis et planis distinctissimam, obscuram tamen, et aperto solari lumine non illustratam.

Erant ibi dies omnes quasi nebulosi, et noctes lunæ stellarumque absentia teterrimæ. Adductus est puer ad regem, eique coram regni curia præsentatus, quem cum diu cum admiratione cunctorum rex intuitus esset, tandem eum filio suo, quem puerum habebat, tradens assignavit. Erant autem homines staturæ minimæ, sed pro quantitatis captu valde compositæ; flavi omnes, et luxuriante capillo, muliebriter per humeros coma demissa. Equos habebant suæ competentes modicitati, leporariis in quantitate conformes. Nec carne vescebantur, nec pisce, lacteis plerunque cibariis utentes, et in pultis

modum quasi croco confectis. Juramenta eis nulla. Nihil enim adeo ut mendacia detestabantur. Quoties de superiori hemisphærio revertebantur, ambitiones nostras, infidelitates et inconstantias expuebant. Cultus eis religionis palam nullus: veritatis solum, ut videbatur, amatores præcipui et cultores.[3]

Solebat autem puer ille ad nostrum hemisphærium pluries ascendere interdum per viam qua venerat, interdum per aliam: primo cum aliis, et postea per se. Solumque matri suæ se committebat; patriæ modum, gentisque naturam et statum ei declarans. Monitus igitur a matre, ut auri, quo abundabat regio, munus ei quandoque referret, pilam auream, qua regis filius ludere consueverat, ab ipso rapiens ludo, per viam solitam ad matrem deproperans, cursim asportavit; et cum ad ostium domus paternæ, populi tamen illius non absque sequela jam pervenisset, intrare festinavit, pes hæsit in limine, et sic intra tectum cadenti matre ibidem sedente, pilam è manu elapsam duo pigmæi è vestigio sequentes arripuere, exeundo in puerum sputa, contemptus et derisiones emittentes. Ipse vero resurgens ad seque reversus, mira facti confunditur erubescentia, et matris plurimum consilia devovens ac detestans, cum via redire pararet, quam assueverat, ad aquæ descensum hypogeumque meatum cum pervenisset, aditus ei jam nullus apparuit. Cum tamen per anni fere spacium inter aquæ prædictæ ripas viam inutilis explorator inquireret. Sed quoniam ea, quæ ratio non mitigat, temporis interdum mora mitescunt: et diuturnitas sola laxatos hebetat plerumque dolores: siquidem malis multis finis de tempore venit, demum tamen ab amicis et matre præcipue vix revocatus, sibique restitutus, et literis denuo datus, tandem processu dierum in sacerdotii gradum est promotus. Cum autem Menevensis Episcopus David Secundus, super hujus eventus inquisitione presbyterum jam senio confectum multoties sollicitasset, nunquam ei negotii seriem potuit citra lachrymas replicare. Habuerat etiam gentis illius linguæ notitiam, cujus et verba recitare consueverat, quæ sibi puerilibus (ut moris est) annis

rapide comparaverat. Erant autem verba sicut ab episcopo prædicto mihi sunt sæpe proposita, Græco idiomati valde conformia. Cum enim aquam requirebant, dicebant Ydor ydorum, quod Latine sonat, aquam affer: Ydor enim aqua eorum lingua sicut et Græca dicebatur, unde et vasa aquatica ὑδρίαι dicuntur, et Dûr lingua Britannica similiter aqua dicitur. Item salem requirentes, dicebant Halgein ydorum, salem affer; ἅλ vero Græce sal dicitur, et Halen Britannice: lingua namque Britannica propter diutinam, quam Britones, qui tunc Trojani, et postea Britones à Brito eorum duce sunt vocati, post Trojæ excidium moram in Græcia fecerant, in multis Græco conformis invenitur.

Hic autem mihi notabile videtur, quod in uno verbo tot linguas convenire non invenio, sicut in isto; ἅλ enim Græce, Halen Britannice, similiter Hibernice, Halgein interposita g lingua prædicta: item Sal Latine, quia, ut ait Priscianus, in quibusdam dictionibus pro aspiratione ponitur S, ut ἅλς Græce, sal Latine, ἕμι semi ἑπτὰ septem, Sel Gallice, mutatione a vocalis in e, a Latino additione t literæ, Salt Anglice, Sout Teutonice. Habetis ergo septem vel octo linguas in hac una dictione plurimum concordantes. Sin autem interpositæ relationis de veritate quid sentiam, scrupulosus investigator inquiras, cum Augustino respondeo, admiranda fore divina miracula, non disputatione discutienda: nec ego negando divinæ potentiæ terminos pono, nec affirmando, eam quæ extendi non potest, insolenter extendo. Sed illud Hieronymi semper in talibus ad animum revoco: Multa, inquit, incredibilia reperies, et non verisimilia, quæ nihilominus tamen vera sunt. Nihil enim contra naturæ dominum prævalet natura. Hæc igitur et similia si quæ contigerint, juxta Augustini sententiam inter illa locaverim, quæ nec affirmanda plurimum, neque neganda decreverim.

ANNOTATIONES IN CAPUT VIII.

[1] De Avenna, Netha, et Tavo confluentibus, vide infra eundem Giraldum in Topographia Cambriæ capite quinto. Monasterium autem de Neth condidit Richardus Granvillanus miles, unus ex duodecim nobilibus, qui cum Roberto filio Hammonis in auxilium Iestini filii Gurguntii, contra Resum filium Theodori Demetiæ Principem advenerunt: verum devicto Reso, hanc regionem Iestino, à quo fuerant vocati, ademerunt, et inter se partiti sunt; unde dominium de Neth in sortem Granvillani cessit, qui ad usum et sustentationem monasterii prædicti omnes terras suas de Neth assignavit, ut in Historia Cambriæ manifestum est.

[2] De hoc Rotherico Phalcusio multa commemorantur, eaque valde festiva et lepida. Obtinuerat enim dispensationem quandam ab Episcopo Menevensi, videlicet ut missam unam quotidie faceret, et præcipuus defunctorum capellanus haberetur; quo nomine multa miracula, vel πλεονεκτήματα potius, operatus est. Nam tituli sui prærogativa in omnibus funeralibus obsequiis, post rectorem loci, primus semper missificabat, et singulis diebus duas missas celebrabat. Qua in re cum de excessu coram episcopo conveniretur, factum justificabat, affirmans se presbyterii sui ratione missam unam quotidie facere posse, et aliam ratione facultatis sibi ab episcopo concessæ. Hic cum in magna et divite quadam parochia solenni festo esset missificaturus, accepit secum circumforaneum quendam circulatorem, ut sibi usui foret, qui in ipso missæ suæ (ut vocant) offertorio, cum parochiani suas illi oblationes deferrent, de pecuniæ mutatione rixam excitavit, ex qua acris orta est contentio, atque à verbis ad verbera deventum, ita ut tota turbaretur multitudo. Hæc dum geruntur, aliis pugnantibus, aliis vociferantibus, aliis denique suos parvulos et

uxores protegentibus, Dominus Rothericus vestibus sacris (ut erat) indutus, se clam una cum calice subduxit ex ecclesia, et aufugit. Postea vero infra paucos dies, ad centum et viginti ex parochianis, ob sacrorum perturbationem, qua se de vita periclitatum affirmabat, apud episcopum graviter accusavit, eosque in jus vocavit, gravissima quæque scelera illis objiciens, et modis omnibus, quibus poterat, eis molestias exhibens, donec illi pacem sibi redimentes, de calice et vestibus actionem penitus relaxassent.

[3] Hæc fabula mihi quidem videtur esse composita ad imitationem relationis Eris Armenii apud Platonem in libris de Republica; aut desumpta ex Tigado horto Aloadini Principis de Mulete, quem M. Paulus Venetus libro primo, capite vigesimo octavo, Senem de Montanis appellat: de quo scribit Haithonus lib. de Tartaris, capite vigesimo quarto, et Cæl. Augustinus Curio Histor. Saracen. lib. iii.

CAP. IX.

DE LOCHOR ET WENDRAETH FLUVIIS TRANSCURSIS; DE CYDWELI QUOQUE.

Transivimus inde versus aquam de Lochor per campestria in quibus Hoelus Meredythi filius de Brecheinoc, post obitum Regis Henrici I. Anglos de finibus illis et milites multos publico bello confectos interemit. Fluvio vero Lochor transvadato, et aquis postea, quæ Wendraeth dicuntur, transmeatis, ad castrum de Cydweli via duce pervenimus. In partibus istis Anglorum Rege Henrico rebus humanis exempto, dum Gruffinus Resi filius Soudwalliæ tunc Princeps, in Nordwalliam auxilium corrogaturus ivisset, uxor ejus Guenliana (tanquam Amazonum regina, et Penthesilea secunda) in partes illas exercitum ducens, a Mauricio Londoniensi terræ domino et viro egregio Gaufrido Præsulis constabulario, bellico in certamine confecta (interempto ibidem filio ejusdem Morgano, et altero capto, scilicet Malgone, quos pueros secum in expeditionem arroganter adduxerat) cum aliis multis, ipsa demum ferro confossa caput amisit.' Tempore vero Anglorum Regis Henrici I. tranquillum pacis statum Wallia sortita, cum prædictus ille Mauritius silvam in partibus illis haberet ferarum multitudine cervorumque præcipue valde copiosam, nimiæque parcitatis in ferina fuisset: quoniam, ut moris est, semper in viri fallacia est uxor astuta, miro mulier est usa commento. Habebat enim vir ille à latere sylvæ versus mare pascua magna et ovium in pascuis copiam multam. Mulier itaque pastores omnes et majores domus figmenti sui complices habens, et fautores simplicis utendo

commoditate viri, in hæc verba ad maritum accessit (erat enim simplicis naturæ simul et tenacis): Mirum, inquit, quod bestiarum dominator bestiis dominari jam desiisti, et cervis non utendo, cervis jam non imperas, sed servis: et ecce quantus abusus ex nimia surgit patientia; inaudita namque rabie, et insueta voracitate adeo in oves nostras desæviunt, ut ex multis paucæ, ex fere innumeris, jam reddantur numerosæ. Ut autem probabiliorem redderet assertionem, evisceratis cervis duobus inter ipsa intestina lanam interseri procuravit. Sic itaque vir muliebri deceptus astutia canum rapacitati cervos exposuit.

ANNOTATIONES IN CAPUT IX.

[1] Gruffinus Resi Demetiæ Principis filius, mortuo Henrico Primo Anglorum Rege, ortisque inimicitiis inter Stephanum Bononiensem Comitem, qui regni possessionem obtinuerat, et Matildem Henrici filiam et hæredem unicam; ratus jam sibi libertatis et paternæ hæreditatis recuperandæ occasionem esse oblatam, quorundam Normannorum possessiones invasit. Verum cum se viribus imparem ad resistendum cerneret, se ad socerum suum Gruffinum Conani filium Venedotiæ Principem contulit, auxiliares copias ab eo petiturus. Interim dum is abest, ejus uxor virilem animum induens, et quascunque potuit copias colligens, cum hoc Mauricio Londineo bello congredi ausa est: infelici tamen eventu, ut Giraldus hic refert. De cujus morte cum Gruffinus pater ejus certior factus esset, Oenum et Cadualadrum filios suos cum copioso exercitu, ad vindicandam filiæ necem, cum hoc mandato misit: videlicet, ne cuiquam Anglo aut Normanno parcerent, neque ullam cum eis omnino pacem inirent, nisi regionem penitus relinquere atque deserere velint. Præterea

ad expellendos ex Cambria Normannos et Anglos, Hoelus filius Meredythi de Brechinia, et Madocus filius Edneri cum prædictis principibus suas vires conjungunt, atque ferro et flamma eas regionis partes, quæ ab hostibus tenebantur, ad internecionem devastant et perdunt, veteresque incolas in suis sedibus collocant, ut in Historia Cambriæ videre licet.

CAP. X.

DE FLUVIO TYWYENSI NAVIGIO TRANSCURSO. DE CAERMARDYN QUOQUE ET ALBELANDE MONASTERIO.

TRANSEUNTES inde navigio flumen Tywyense, et versus Caermardyn iter arripientes, Lanstephan et Talachar marinis in scopulis à læva reliquimus. Erant autem hæc duo castra, quæ Resus filius Gruffini post obitum Anglorum Regis Henrici II. desperatione custodum citra insultum occupavit; deinde provinciis de Penbroch et Ros cædibus, incendiis, et prædationibus fere exterminio datis, frustrato conamine Caermardyn obsedit. Sonat autem Caermardyn urbs Merlini, eo quod juxta Britannicam Historiam ibi ex incubo genitus, inventus fuerat Merlinus.[1]

Est igitur hæc urbs antiqua coctilibus muris partim adhuc extantibus egregie clausa super nobilem Tywy fluvium sita, silvis et pratis abundans: habet autem Cantref Mawr, id est, Cantredum magnum, ab oriente, copiosa silvarum condensitate australis Cambriæ civibus tutissimum in necessitate refugium, ubi et castrum Dinevor in collis excelsi vertice super fluvium Tywy situm, quod et principalis Sudwalliæ curia dicitur. Fuerant enim antiquitus tres principales in Wallia curiæ: Dinevor in Sudwallia, Aberfrau in Nordwallia, scilicet apud Monam; in Powisia apud Pengwern, quod et nunc Slopesburia dicitur; sonat autem Pengwern caput alneti.[2] In his autem de Cantref Mawr finibus, Commoto videlicet de Caos, illud ad animam revocans, Dolus an virtus quis in hoste requirat? et illud, Et si non recte possis quocunque modo rem: quam enormiter in subditos hoc nostro tempore curia vindictam exercuerit noster explicare stilus

abhorruit.[3] Juxta Dinevor, trans flumen scilicet Tywy, in Cantref-bachan, id est, Cantredo brevi, fons est qui die naturali bis undis deficiens, et toties exuberans, marinas imitari solet instabilitates.[4] Non procul à Caermardyn, ex parte boreali scilicet apud Pencadair, id est, cathedræ caput, Reso Gruffini filio nostris diebus ad deditionem dolose magis quam viriliter compulso, et in Angliam ducto, Rex Anglorum Henricus Secundus de Armorica oriundum Britannia militem quendam de cujus prudentia simul et fidelitate confidebat, sub decani de Cantref Mawr conductu, cui nomen Guaidanus, castrum Dinevor locique situm et patriæ munitionem exploraturum transmisit. Presbyter autem monitus ut per viam meliorem ad castrum et faciliorem militi præberet iter, per magis difficiles et inaccessibiles aditus ipsum de industria circumduxit; et ubicunque per saltus herbosos transitum faciebant, cum intuentium admiratione presbyter herba pascebatur; asserens accolas et indigenas herbis et radicibus (ingruente inedia) vivere et vesci solere. Ad Regem itaque milite reverso, cunctisque relatis quæ vel digna relatu viderat vel audierat: terram scilicet inhabitabilem, terram iniquam et inaccessibilem, nullique genti nisi bestiali et bestiarum more viventi victui necessariam; demum fidei sacramentique nodis, nec non et obsidum vinculis astrictum, Resum Rex ad sua remisit.

Progressis inde nobis versus Cisterciense monasterium quod Alba domus dicitur,[5] adsunt quidam nuntiantes Archiepiscopo juvenem quendam Cambrensem ei devote occurrentem, obiter ab hostibus interemptum. Ad quem non procul à via divertens, corpusque cruentum eleemosynarii sui operiri pallio jubens, jugulati juvenis animam pia supplicatione commendavit. Igitur in crastino, sagittariis duodecim de Sancti Clari castello satis propinquo, qui juvenem prædictum jugulaverant, apud Albam domum in pœnam criminis cruce signatis, tribusque fluviis, primo Taf, deinde Cledheu sub Lanwadein, alteroque sub Haverfordia transmeatis, demum Haverfordiam pervenimus. Sortita est autem inde provincia nomen, inter duos hos fluvios

sita, Daugledheu: eo quod duobus his fluviis quasi duobus gladiis cingatur et terminetur. Cledheu namque Britannice, gladius Latine.

ANNOTATIONES IN CAPUT X.

[1] Tametsi hæc opinio de nomine Mariduni à Merdhino deducto, magnos atque celebres authores habeat; ego tamen (doctorum pace dixerim) ejus sententiæ sum, ut existimem eam nominis derivationem, cum insigni errore esse conjunctam. Nam apud Ptolomæum, qui longe ante natum Merlinum, stante adhuc et integro Britannorum regno (tempore nimirum Marci Imperatoris, ut testatur Suidas), scripsit, manifestum est, hanc urbem tunc Maridnum fuisse appellatam; cujus verba Geograph. lib. ii. sunt hæc: Rursus post prædictos populos ultimi versus occasum sunt Demetæ, quorum civitates Loventium et Maridunum. Antoninus etiam, vel Antonius Augustus, cujus Itinerarium circumfertur, qui Merlinum tempore præcessit, hujus urbis mentionem facit; ubi Muridunum pro Mariduno legitur: nisi forte à muro egregio quo oppidum illud legionarii milites Romani qui ibidem hyemare solebant, undequaque muniebant, deductum esse nomen putemus: quod à Britannico quidem idiomate non est alienum: nam Mûr et Murdhyn Britannice, murum designant. Si tempore Merlini nomen acceperit, cedant nobis ejus opinionis assertores, nomen ejus antiquum. De Merlino postea (Deo volente) lib. ii. cap. 8, annot. 2, dicemus.

[2] De tribus Cambriæ curiis principalibus vide Descriptionis Cambriæ, cap. 2, et quæ ibidem annotata sunt.

[3] Quæ sit illa vindicta quam tantopere Giraldus hoc in loco explicare veretur, haud facile est affirmare: conjectura tamen mihi videor assequi quid sentiat. Cum Oenus Venedotiæ et Resus Demetiæ

Principes, Henrico Anglorum Regi ejus nominis secundo, mutuo fœdere, datis etiam obsidibus essent devincti, quorundam Normanorum ita exarsit cupiditas, ut in Cambrorum possessiones violenter irruerent, ut Rogerus Clarensis Comes et Walterus Cliffordius; de quorum excessu et violentia Resus apud Henricum Regem sæpius questus est, nec remedium ullum habere potuit: quia Rex Normannis inique favens, et ad eorum ferociam et injurias connivens, nullam harum accusationum admittere voluit. Quamobrem Resus et alii proceres, cum viderent in se levissimis de causis crudelius animadverti, et gravissima adversariorum suorum scelera sine reprehensione ulla prætermitti, ad sui defensionem et propulsandam inimicorum injuriam arma capiunt. Hæc cum ad Anglum essent delata, ingentem exercitum confecit, et adversus Cambros rebelles in Bervini montana duxit, apud Oswaldiam Cambriæ fines subintrans, non procul à Corvena, ubi Cambrorum copiæ præsto aderant in valle Devana. Henricus montana occupans, in vallem descendere sine gravissimo sui et suorum periculo non poterat; nam Cambri locorum et itinerum gnari, viarum angustias observantes, omnes fere qui necessariorum parandorum causa ab exercitu discesserant intercipiebant, ita ut Regem omni commeatu intercluderent, nec tamen unquam montem ascendere volebant. Unde Henricus loci iniquitate coactus, atque magnis et assiduis imbribus immoderatisque tempestatibus afflictus, hyeme etiam instante, cum magnam thesauri sui summam profudisset, et quam plurimos ex suis militibus cum aeris inclementia tum inimicorum insidiis amisisset: sentiens se nihil profuturum, castra solvit, et domum reversus, obsides Cambrorum quos longe antea acceperat, exoculavit, videlicet Resum et Caduallonum filios Oeni, atque Cynuricum et Meredythum filios Resi. Sic miselli juvenes, eo quod Anglus patres eorum debellare nequiverat, oculos amiserunt. Atque hæc mihi videtur esse illa enormis vindicta de qua hic loquitur Giraldus. Vide infra lib. ii. cap. 10 et 12.

[4] In Tegenia, quasi sex millibus passuum à mari, est alius hujus-

modi fons, ab incolis vocatus Fynon Leinw, qui bis in die fluit et refluit. Hoc tamen (inquit H. Lhuyd) nuper observavi, luna ab horizonte orientali ad meridianum ascendente, quo tempore omnia fluunt maria, fontis aquam diminui refluviumque pati. Vide infra lib. ii. cap. 10, et in Annotat. ibidem.

[5] Hic est locus ille antiquus, promulgatione legum Hoeli Boni Cambriæ olim Regis valde celebris, ubi Princeps ille convocatis centum et quadraginta prælatis et nobilibus, veteres Cambriæ leges reformavit, novasque ex usu reipublicæ constituit: quibus Cambri usi sunt usque ad mortem Leolini tertii Cambriæ Principis.

[6] Haverfordia post adventum Flandrensium in illam regionem, illud nomen consequuta est: cum antea (ut scribit Lelandus) Dugladia, Britannice vero Aberdaugledheu, id est, Ostium duorum gladiorum, diceretur, hodie vero Hulphord. Sunt qui existimant illam urbem, quæ apud Antonium Vindogladia dicitur, in hac regione fuisse, et ab his duobus gladiis nomen esse sortitam.

CAP. XI.

DE HAVERFORDIA ET ROS.

Apud Haverfordiam itaque primo ab Archipræsule sermone facto, deinde, ab Archidiacono Menevensi, cujus nomen præsentis opusculi titulus tenet, verbo Domini gratiose prolato turbæ, allecta est multitudo tam militaris quam plebea. Ubi pro mirando et quasi pro miraculo ducebatur à multis, quod ad verbum Domini ab Archidiacono prolatum, cum tamen lingua Latina et Gallica loqueretur, non minus illi qui neutram noverunt linguam, quam alii, ad lachrymarum affluentiam moti fuerunt, atque etiam ad crucis signaculum catervatim accurrerunt.

Accidit autem aniculam partium istarum quæ per triennium antea cæca fuerat, audito Archipræsulis adventu, filium suum adolescentem ut vel de fimbria vestimenti ejusdem aliquam particulam ei referret, ad locum prædicationis destinasse; qui cum ad Archiepiscopum ob turbam consertam accedere non potuisset, glebam quam sub pedibus prædicantis turba dilapsa signaverat, secum matri reportavit, ipsa vero munus oblatum cum gaudio magno suscipiens, et in orationum instantiam genua ponens, ori et oculis cespitem apposuit, et statim luminis læticiam quam penitus amiserat, tam viri sancti meritis quam fide propria et devotione recuperavit. Erat autem gens hæc originem à Flandria ducens, ab Anglorum Rege Henrico Primo ad hos fines inhabitandum transmissa: gens fortis et robusta, continuoque belli conflictu gens Cambrensibus inimicissima: gens (inquam) lanificiis, gens mercimoniis usitatissima. Quocunque labore sine periculo terra marique lucrum quærere, gens pervalida: vicissim

loco et tempore nunc ad aratrum, nunc ad arma, gens promptissima. Gens utique felix et fortis si vel regibus ut deceret Cambria cordi fuisset, vel præstitutis saltem et præfectis injuriarum dedecus animo vindice displicuisset.[1]

Contigit autem prædicto in castro nostris diebus res nequaquam prætereunda. In ejusdem castri turre tenebatur in vinculis latro famosus: ad quem pueri tres, filius sc. Comitis Clarensis ibi nutritum commissus, aliique duo, quorum alter herilis filius, alter ejusdem, ex filia nepos, propter missilia lignea quæ eis arcu mittenda ferro formare consueverat, frequenter conveniebant. Quondam autem puerorum precibus ad auras ab imo nequam extractus, captata carcerarii absentia ocius ostia claudens tam ipsum exclusit, quam pueros quoque secum inclusit. Quo perpetrato statim clamor factus est magnus, tam intus puerorum quam exterius populorum, nec cessavit ille elevata securi mortem pueris acriter interminare, donec ei tam indemnitatis quam vitæ securitas sub cautione certissima fuerat indulta. In Francorum quoque regno apud castellum Radulphi casus accidit haud dissimilis. Dominator enim loci illius quem olim exoculaverat, in castro quendam alebat, qui cum ex diutina frequentia vias castri cunctas turriumque gradus ascensus, cordis oculo jam tenuisset: semel ira vindice opportunitate captata, puerum quendam castellani filium quem unicum habebat et hæredem, ad summa turris propugnacula secum adduxit. Stans igitur in alto et clausis intus ostiis, ruinam puero parans, ad clamorem magnum et mœrorem universos provocavit. Procedens itaque pueri pater, et non mediocri dolore concussus, cum filii redimere sospitatem modis omnibus attemptasset, responsum accepit, nisi per partium inferiorum mutilationem, quam et sibi intulerat, hoc nullatenus fieri posse. Ipse vero multis antea frustra allegatis: demum hoc concesso quasi præcisis illis cum lugubri circumstantium clamore ictum in trunco fieri fecit. Cæcus autem graviores angustias ubi sentiret cum requisisset, et responsum audiret quoniam in renibus: falsum esse proclamans,

puerum iterum præcipitare paravit. Ictum itaque denuo dato, et angustias sibi in corde majores esse responso, dominum arguens falsitatis, puerum ad præcipitium exportavit. Tertio vero genitum ut redimat genitor, instrumenta gignendi vere præscidit: et cum in dentibus se sentire dolorem proclamasset: Verum, inquit ille, qui experto credendum, et injurias ultus ex parte, mortem mitius aggrediar: et tu de cætero nec alium gignes, nec isto gaudebis: eoque dicto exiliens ab alto, se cum puero præcipitem dedit; et statim in ima corruens, membris minutim confractis expiravit uterque. Miles autem pro anima pueri monasterium quod adhuc extat, et De doloribus dicitur, ibidem construxit.

Hoc autem mihi notabile videtur, quod ad prædicti loci castellanum Richardum sc. Tankardi filium, cum tamen fratres habuerit plurimos et probos, et omnium junior extiterat, præmortuis aliis universa est hæreditas devoluta. Similiter et ad Resum Gruffini filium sublatis de medio multis antea fratribus probis et pulcherrimis, australis Cambriæ dominium est devolutum. Contigit autem prædicto Richardo pueriles annos agente, virum sanctum cui nomen Caradocus, apud Sanctum Hismael in Rosensi provincia eremiticam et sanctissimam vitam ducere, ad quem puer tam a patre sæpius quam à matre transmissus cibariorum xenia quia frequenter ferre consueverat, tantam in oculis viri boni gratiam obtinuit, ut ei sæpissime cum sua benedictione fratrum omnium felicitatem et paternam hæreditatem compromitteret. Accidit autem aliquando, prædictum Richardum ob pluviam inundantem ad domum eremiticam divertisse; et cum canes quos secum ad venatum adduxerat nec vocatione, nec adulatione, nec etiam oblatione, ad se introducere posset, subridens vir sanctus, et ipsos, manu leniter annuens, statim ad se venientes cunctos suscepit. Processu vero temporis cum diem Caradocus jam clausisset extremum, et vitæ labentis cursum fine felici consummasset, corpus suum quod libero postremæ voluntatis stilo Menevensi ecclesiæ delegaverat, Richardi pater Tankardus violenta

præsumptione detinuit: sed statim ægritudine gravi correptus, mandatum ocius revocavit. Cum itaque semel et iterum hoc ei contigisset, tertio tam morbo laxato quam mandato, cum corpus versus Meneviam per sabulum de Niwegal deferretur, et exuberantem in pluviam nube resoluta, totoque comitatu pluvia perfuso, sacræ vecturæ duces à latebris exeuntes, pallam sericam, qua ferretrum opertum fuerat, ab omni imbrium madore indemnem reperiunt et immunem; et sic Meneviam corpus allatum crebra miraculorum tam præsentium quam sequentium quoque corruscatione, in ecclesiam Sancti Andreæ, Sanctique David ala sinistra, juxta altare Sancti protomartyris Stephani, debita est celebritate tumulatum. Hoc autem mihi videtur hac de gente notandum quod in armis arietum dextris carne nudatis, et non assis sed elixis, tam futura prospiciunt quam præterita, et ante incognita longe respiciunt: tempore quoque præsentia, sed loco absentia, quasi prophetico quodam spiritu arte miranda cognoscunt: pacis et guerræ signa, cædes et incendia, domestica adulteria, regis statum, vitam, et obitum, rimularum quarundam et notularum indiciis certissime declarant. Unde et nostris temporibus contigit virum quendam partium istarum non ignobilem, et in arte prædicta præ aliis instructum (cui nomen Gulielmus Mangunel), uxorem habere de proprio viri nepote prægnantem; cujus eventus vir non ignarus, arietem de ovili proprio sumptum, ex parte cujusdam vicini sui coram uxore, sibi præsentari procuravit: quo statim ad coquinam transmisso, cum eodem die in prandio sedissent, armum arietis debito more decoctum et purgatum ad inspiciendum vir mulieri quam in hoc peritam noverat ex industria porrexit; quem cum paulisper intuita fuisset, rimulas notans et signa secreta, et oraculum in mensa subridendo projecit. Ille vero cuncta dissimulans, cum risus causam reique notitiam tanto vehementius efflagitasset, illa demum tanquam importuna viri mota instantia respondit: Vir de cujus ovili aries hic fuerat, uxorem habet adulteram et proprii nepotis incæstu jam gravidam effectam. Ad hæc autem vir subtristis

vultuque demisso: Verum, inquit, oraculum profers, et nimia veritate subnixum, unde et tanto mihi dolendum fortius quanto in propriam injuriam publicata redundat ignominia. At illa tantam sui comperto crimine confusionem dissimulare non prævalens, interiorem animi passionem signis exterioribus, urgente vicissim tam pudore quam angustia, nunc rubore vultus, nunc pallore, demum vero lachrymis more muliebri est protestata. Præterea oblatus est cuidam armus caprei quasi pro ovino, quia simillima sunt ossa purgata, qui notatis rimulis parumper et signis, cum admiratione subjecit: Infelix pecus quæ nunquam novit multiplicari, infelix et pecudis dominus, qui nunquam ultra tres vel quatuor in uno grege habere prævaluit. Destructionem quoque patriæ post obitum Regis Henrici Primi, per annum ante vel dimidium, multi in humeris præviderunt, qui venditis universis quæ possidebant, tam mobilibus quam immobilibus indempnes per industriam, patria relicta imminens excidium evaserunt.

Contigit etiam in Flandriæ finibus unde gens ista descenderat, viro quodam vicino suo os hujusmodi ad inspiciendum transmittente, quod portitor fossam obiter transiliendo fissa nate crepitum dedit, quem statim viri naribus cujus causa vexabatur verbis et votis adoptavit. Ille vero cui portabatur armo inspecto, illico subjecit: Sed tu frater id quod mihi adoptaveras in naribus habeas. Accidit autem quod et notabile censui quendam nostris diebus, ossis inspectorem non solum furtum furtique tenorem, furem ipsum, furandique modum et circumstantias omnes inspiciendo notasse: verum et campanæ pulsum et tubæ sonitum, ac si præsentialiter adhuc agerentur quæ jam præterita fuerant, audisse. Mirum itaque quod sicut conjurationes illicitæ imaginaria quadam similitudine oculis acta, sic et auribus repræsentant accidentia.

ANNOTATIONES IN CAPUT XI.

Flandria, olim Menapiscus pagus, de quo in legibus Caroli Magni frequens fit mentio (et postea Rutheia, ut Divæus et Cænalis testantur), sic dicta sive à Flandra Luderici uxore, sive à Flandeberto Clodii Regis nepote, sive ab æstu ventisque maris, sive à Germanica voce Flandren, quæ sagittam significabat, regio est inferioris Germaniæ, ad mare Britannicum et Oceanum septentrionalem sita, soli fertilitate et omnium rerum copia florentissima, sed æstuantis maris inundationibus maxime subjecta; unde maritimi tractus incolæ sæpenumero, cum eorum regio violenta aquarum irruptione esset submersa, aliis in locis sedes sibi coacti sunt quærere. Cum Gulielmus Normanniæ Dux, qui Angliam sibi subjugavit, adversus Haroldum Godvini filium qui in regni possessionem irruerat, exercitum pararet, Baldvini Flandriæ Comitis soceri sui opem imploravit. Flandrus genero suo cum magna copia præsto adfuit, hac tamen conditione, ut ipse omnesque post eum Angliæ reges in perpetuum trecentas marchas argenti in annos singulos Flandriæ comitibus penderet. Illo tempore infinita multitudo, cum infimæ sortis hominum, tum etiam eorum qui maris excursu et inundatione à sedibus pellebantur, in Angliam cum Flandro commigrarunt: quos etsi Anglus (pacificam regni possessionem nactus), Matilde Regina intercedente, in suam clientelam protectionemque suscepit, eos tamen terrarum possessionibus non ditavit. Hi non ita multo post, per universum regnum dispersi, toti Angliæ molesti esse cœperunt; quamobrem postea ob denegatam prædictarum trecentarum marcharum solutionem, orta est simultas inter Robertum Hierosolymitanum Flandriæ Comitem et Henricum Angliæ Regem; unde Anglus omnes Flandricæ nationis regni sui incolas è suis ditionibus expellere decrevit. Verum quia matris suæ intercessione

primo fuerant recepti, atque etiam ut eorum opera Cambrenses sibi subjugaret, Rossiam Demetiæ provinciam illis concessit ad habitandum: sic (inquit Castoreus) Angliam defæcavit, et arctavit Walliam. Hi multis bellis à Cambriæ principibus lacessiti, se suaque fortissime tutati sunt, et in hunc diem (teste H. Lhuyd) et lingua et moribus à Cambris diversis, ibidem pro Flandris agnoscuntur.

CAP. XII.

DE PENBROCHIA.

ADJACET autem territorio Rossensi meridionali maritimoque ex latere, interlabente brachio marino, provincia Penbrochiensis, cujus principale municipium totiusque provinciæ Demeticæ caput, in saxosa quadam et oblonga rupis eminentia situm lingua marina de Milverdico portu prosiliens in capite bifurco complectitur; unde et Penbrochia caput maritimæ sonat. Primus hoc castrum Arnulphus de Montgomery sub Anglorum Rege Henrico Primo, ex virgis et cespite tenui, satis exile construxit.[1] Quod postmodum in Angliam revertens viro probo prudentique Giraldo de Windesora constabulario suo primipiloque cum paucis custodiendum exposuit. Nec mora totius Australis Cambriæ Wallenses principe ipsorum viro bellicoso, Reso scilicet Theodori filio paulo ante dolo suorum apud Brecheinoc inrempto, et Gruffino filio suo puero relicto, castrum obsidione cinxerunt. Contigit nocte quadam cum milites quindecim castri desertores ex desperatione scapham intrantes navigio fugam attemptassent, in crastino mane Giraldus eorum armigeris arma dominorum cum feodis dedit, ipsosque statim militari cingulo decoravit. Invalescente vero et gravius incumbente per moram temporis obsidionis incommodo, cum ad ultimam fere inediam jam in castro perducti fuissent, Giraldus ex summa prudentia spem simulans et solatia spondens, quatuor qui adhuc supererant bacones à propugnaculis frustratim ad hostes projici fecit. Die vero sequenti ad figmenta recurrens exquisitiora, literas sigillo suo signatas coram hospitio Menevensis episcopi, cui nomen Wilfredus, qui forte tunc aderat, tanquam casu à portitore

dilapsas inveniri procuravit. Erat autem literarum continentia quod infra menses quatuor Comitem Arnulphum super castri subventione sollicitari non oporteat. Quo per exercitum literis lectis audito, statim obsidione dispersa ad propria singuli sunt reversi. Nec mora Giraldus ille ut altiores in finibus illis sibi suisque radices figeret, Gruffini Principis Sudwalliæ sororem, cui nomen Nesta, sibi lege maritali copulavit; de qua processu temporis egregiam utriusque sexus prolem suscepit, per quam et Anglis Australis Cambriæ maritima retenta, et Hyberniæ mœnia postmodum sunt expugnata, sicut vaticinalis declarat Historia.

Contigit in hoc Penbrochiæ castro nostris temporibus, virum quendam intra septa domus suæ mustelæ catulos in vellere quodam invenisse; quos cum illæsos ex industria cum ipso vellere à loco removens abscondisset, bestiola rediens post crebros undique quærendo nec inveniendo discursus, materno tandem mota dolore, ad vasculum lacte plenum, quo parvulus educabatur filius herilis accessit, et statim se supra vas erigens collectum intra se virus evomuit, et lacteum condimento lethali potum infecit, tanquam perditæ prolis angustias, prolis amissione compensans: vir autem his observatis omnibus, vellus ad locum reportavit. Et ecce mustela materna sollicitudine inter spem et metum anxia, falsosque frequens mentita dolores, depositum invenit, et continuo lætitiam tam gestu quam voce professa, ad vasculum præscriptum celerrime reversa est, eversoque statim continente, totum quod continebatur effudit, tanquam recuperatæ prolis ob gratiam, hospitem illæsum fore statuens et indemnem. Contigit et alibi cum bestiola hujusmodi fœtus teneros ob solis et auræ temperiem extra domos in planiciem eduxisset, quod miluus insidians unum ex catellis asportavit: et statim illa intra fruticum septa cum prole residua se suscepit, et exquisitæ vindictæ decipulam matri dolor ministravit. Exiens igitur in tumulo quodam se resupinam dedit, et in ipso prædonis prospectu jam reversi, se quasi mortuam finxit; et quoniam semper successus augent aviditatem, statim avis eam avide

rapiens ad alta tunc vexit: nec mora, et ecce à vindicis animi bestia venenosi dentis ad ima morsu corruit jugulata. Distat autem à Penbrochiæ castro quasi milliaribus tribus, castellum quod Maenor Pyrr, id est, mansio Pyrri dicitur: qui et insulam Chaldei habebat quam Cambri Ynys Pyrr, id est, insulam Pyrri vocant. Stat etiam hoc castrum turribus et propugnaculis eximium, in collis cujusdam capite versus marinum ab occidente portum extensi, a circio et borea sub ipsis muralibus vivarium habens egregium, tam sui majestate quam aquarum profunditate conspicuum, pomerium quoque perpulchrum ab eodem latere: hinc vinario, inde nemore conclusum, tam saxorum prominentia quam corylorum quoque proceritate præclarum. A dextra vero castrensis promontorii parte, inter castrum scilicet et ecclesiam, ad stagni amplissimi statum et molendini situm, sabulosam vi ventorum convallem indeficientibus undis rivus inserpit. Ab occidente sinuoso quodam in angulo mare Sabrinum jam prope in Hybernicum vergens, cum procul à castro distante subintrat, australi scopulo si paulo in boream se plus protenderet, aptum navium receptioni portum faciente. Naves igitur quascumque fere à Majori Britannia in Hyberniam eurus impellit: ab hoc prospectu tam formidandam ventorum inconstantiam quam furibundam et cæcam fretorum rabiem videas audacter attemptare. Terra tritico, marinis piscibus vinoque venali copiose referta: et quod omnibus præstat, ex Hyberniæ confinio aeris salubritate temperata. Terrarum igitur omnium Cambriæ totius septem cantredis conferta, Demetia tam pulcherrima est quam potentissima: Demetiœ vero Penbrochia, Penbrochiæ quidem terra præscripta. Restat igitur, ut Cambriæ totius locus sit hic amœnissimus. Non itaque mirandum, non venia indignum, si natale solum genialeque territorium profusioribus laudum titulis auctor extulerit. In his autem Penbrochiæ partibus nostris accidit temporibus spiritus immundos cum hominibus non visibiliter sed sensibiliter conversatos. In domibus namque primo Stephani cujusdam Wiriet, et postea processu temporis Gulielmi Not, jactu sordium et eorum

quibus illudere potius quam lædere videntur, sui præsentiam ostentabant. In domo Gulielmi, non absque frequenti tam hospitis quam hospitum damno, tam lineis quam laneis scissuras in vestibus atque foramina faciebat: à quibus eas incommodis nulla poterat diligentia, nulla penitus sera tueri. In domo Stephani majori miraculo cum hominibus sermocinari consueverat, et convitiantibus ei quod plerique ludicro faciebant, à nativitatis tempore gesta quæ minus ab aliis vel audiri vel sciri voluerant palam improperabat. Si causam quæris eventus ejus et rationem assignare non præsumo; nisi quod subitæ mutationis vel paupertatis in divitias, vel potius divitiarum in paupertatem et desolationem presagium ut dicitur esse solebat: sicut et in his ambobus paulo post compertum fuit. Illud autem hic notabile censui, quod nec aquæ benedictæ respersione, non tantum communis sed etiam magnæ, nec ullius ecclesiastici sacramenti remedio, ab illusionibus hujusmodi loca mundatur. Quinimo sacerdotes ipsi cum devotione intrantes et tam cruce bajula quam aqua benedicta muniti, statim inter primos sordium jactu dehonestantur. Ex quibus constare videtur, quod à nocivis non innocuis, et læsionibus non illusionibus tam sacramentalia quam sacramenta tuentur. Notandum hic etiam his nostris diebus in Pictavia energuminam fuisse à diabolo possessam, qui et per os ejus loquebatur, disserens et disputans acute et artificiose cum literatis et disertis. Exprobabat et interdum hominibus ea quæ secretius gesserant et quæ minus audire voluerant. Cum autem liber evangelicus vel sanctorum reliquiæ super os obsessæ quandoque ponerentur, ad inferiorem gutturis partem fugiebat; et cum ibi ponerentur, in ventrem descendebat. Apparebat autem per inflationes quasdam et commotiones partium illarum quas possederat: et cum iterum ponerentur reliquiæ ad partes inferiores in quibus apparebat, statim redibat ad superiores. Cum autem demum attulissent corpus Christi et laboranti dedissent, respondit dæmon: Stulti, nihil est quod agitis, non enim cibus est corporis sed animæ quod ei datis: mihi autem non est data potestas

in animam sed in corpus. Cum autem hi quibus secretiora sua exprobraverat, confessione super his facta ex pœnitentia sequuta redissent, nihil eis improperabat, Scivi quidem scivi, sed nunc ignoro (aliis autem quasi convitium hoc emittebat), et ego taceo, quod enim scio nescio. Ex quibus apparet quia post confessionem et pœnitentiam vel omnino hominum peccata dæmones nesciunt, vel ad damnum eorum et dedecus ea nesciunt. Quia, ut ait Augustinus, Si homo tegit, Deus detegit; et si homo detegit, Deus tegit.

Nonnullos etiam movere solet, quod fulmina frequenter ecclesias nostras et templa cadendo dejiciunt: cruces quoque et crucifixi imagines coram oculis cuncta cernentis et hoc permittentis plerunque feriendo diminuunt; quibus nihil aliud ad præsens nisi illud Ovidii respondere dignum duxi:

Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis:

Sicut et Petrus Abaelardus, egregie suo in tempore, in præsentia Philippi Francorum Regis, cuidam Judæo respondisse memoratur, hæc et similia in opprobrium fidei objicienti: Verum, inquit, quia fulmina ab alto descendentia domicilio, ad ea quæ in terris sublimiora reperiunt suaque naturæ similiora se frequentius applicant. Ideoque in synagogas vestras nunquam fulmina cadunt, quia nec in cloacas unquam ea cecidisse vel vidit quispiam, vel audivit. Unde et hic notabile censui quod cum in Francia nostris diebus inter monachos Cisterciensis ordinis et militem quendam super metis agrorum et terrarum suarum terminis contentio sæpe fuisset, et acciderit aliquando vi tempestatis ingruentis culturam monachorum damno eorundem non modico, nocte quadam funditus destructam et demolitam fuisse, cultura militis ei contermina et quasi continua indemni penitus et illæsa manente, miles ea occasione in monachos insolenter invectus, monachorum injuriam in agri illius possessione divinitus declaratam publice proclamavit. Abbas autem hoc audito satis

facete respondit: nequaquam ita esse, sed habuisse militem amicos plures in illo equitatu quam monasterium, monachos è contra hostes ibidem plures et inimicos, verius esse demonstravit.

In hac eadem provincia de Penbroch, tertio in loco, domo videlicet Elidori de Stakepole, circa eadem fere tempora, non solum sensibiliter, sed et visibiliter sub ruffi juvenis specie qui et Simonem se vocabat, quidam apparuit. Hic primo claves à clavigero præripiens, se ad seneschaliam domus regendam impudenter ingessit. Eam tamen tam provide, ut videbatur, tamque prudenter administrabat, ut omnia sub ejus manibus abundare, nullusque defectus in domo fieri posse videretur. Quicquid autem herus et hera ad quotidianos usus vel esus aut premeditati fuerant aut secreto proloquuti, id ipse non præmonitus, non invitatus mirabili explebat agilitate, dicens: Id fieri vultis, hoc vobis fiet. Thesauros autem ipsorum et secretas repositiones sciebat, eisque aliquoties exprobrabat; nam quoties avare aliquid aut parce nimis agi volebant, dicebat: Ut quid acervum illum auri vel argenti tangere timetis et expendere, brevissimi nempe dies vestri sunt: pecuniaque quam tantopere congeritis nunquam vobis erit ad usus aliquos proventura. Rusticis autem ministrisque domus mercenariis præciosiora libentius cibaria atque pocula ministrabat, dicens: Ea illis præcipue cum abundantia largiri debere quorum erant laboriosis operibus adquisita.

Quicquid autem agi statuerat, quanquam id domino vel dominæ displiceret, quoniam secreta eorum, ut diximus, omnia noverat, et quoniam cuncta fere tam expedite, tamque mature gerebat, sine omni conditione complebat. Ecclesiam autem nunquam adibat, nec verbum aliquod catholicum unquam pronunciabat. In domo nocte non jacebat, sed mane quotidie ad obsequia promptus astabat. Observatus tandem a familia domus cum forte fuisset, circa molendinum et aquæ stagnum nocturna ejusdem inventa est conversatio; quo comperto statim in crastino coram domino domus constitutus, et domina claves quas quadraginta diebus vel amplius gestaverat, eis

(licentiam accipiendo) porrexit. Interrogatus autem in discessu, et obtestatus quisnam esset, respondit, se in uxore rustici cujusdam de parœchia eadem, sub specie mariti ab incubo spiritu fuisse progenitum, nominans virum ac vitricum suum jam defunctum, et matrem suam adhuc superstitem; cujus inquisita diligentius rei certitudine, sic in veritate fuisse palam mulier est professa. Similis hujus in Dacia nostris diebus casus accidit: Archiepiscopo namque clericus quidam ignotus adhæsit, qui sub obtentu obsequii quia diligens et discretus esse videbatur, literarum etiam et historiarum omnium promptissimam habebat notitiam atque memoriam, magnam cum ipso familiaritatem in brevi contraxit. Quadam etiam die cum narraret Archiepiscopo de historiis ab antiquis et ignotis rerum eventibus, unde ipsum libenter et frequenter audiebat, accidit ut de tempore incarnationis dominicæ loquerentur, qui et inter alia et hoc subjunxit: Antequam Christus carnem sumpsisset, magnam habebant dæmones in genus humanum potestatem, sed in adventu ipsius valde diminuta fuerat eorum potestas: adeo quidem ut à facie ipsius undique diffugerint et disparuerint; alii namque in mare se præcipitaverunt; alii in concavitates arborum, et rimas petrarum, et ego ipse in fontem quendam insilii; quo dicto quasi verecundans erubuit, et surgens statim exivit.

Archiepiscopus autem et qui cum eo fuerant, vehementer admirantes, cœperunt de verbo illo ad invicem inquirere, et plurima conjectare; et cum moram aliquantulum ille fecisset (putabatur enim statim reversurus), præcepit Archiepiscopus cuidam suorum illum vocare, ipse vero vocatus et quæsitus undique, nusquam comparuit. Nec longe post duo clerici quos Archiepiscopus Romam miserat, reversi sunt: quibus cum Archiepiscopus et sui rem gestam et eventum illum retulisset, cœperunt illi inquirere diem eventus illius et horam; quod cum audissent, dixerunt quod eodem die, et hora eadem, obviaverat eis in Alpibus, dicens se propter negotia domini sui, scilicet Archiepiscopi, nuper emersa, ad curiam Romanam fuisse trans-

missum. Sicque compertum est dæmonem ipsos in humano corpore delusisse.

De falconibus quoque partium istarum egregiis et generosis, qui gravissimam in aves tam fluviales quam campestres tyrannidem exercent, prætereundum non putavi. Unde et Anglorum Rex Henricus Secundus, cum in partibus istis, iter in Hiberniam parando, moram aliquandiu faceret, et avium aliquando volatu delectari voluisset, falconem nobilem in saxo quodam sedentem cum forte conspiceret, eundem lateraliter ambiendo, accipitrem Norwagiensem generosum et grandem quem gestabat læva projecit; falco vero quanquam in primis tardior, ad alta tamen vix subvectus, iraque vindice vice versa de præda prædo jam effectus, à summis impetuosius ad ima descendens quadrati pectoris ictu vehementi præpositaque talorum armatura talionem reddens, ad pedes regios accipitrem confodiendo prostravit. Unde et ab hac hora singulis Rex annis circa nidificationis tempora propter falcones terræ illius qui marinis in rupibus excluduntur mittere consuevit; nec in terra sua nobiliores illis aut præstantiores invenit. Sed hæc hactenus, ad viam de cætero revertamur.

ANNOTATIONES IN CAPUT XII.

[1] Gulielmus Nothus Normanniæ Dux, cum Angliæ regni possessionem jure belli nactus esset, cupiens illud tranquillum et quietum reddere, universos Anglici stemmatis nobiles vel exhæredavit vel è medio sustulit, quorum possessiones Normannis distribuit: quæ cum eorum aviditati (plurimis indies ex Normannia, Gallia, et Belgia, possessionum causa, in Angliam confluentibus) minus satisfacerent, nec satis amplæ viderentur: post acquisitam per Robertum Hammonis filium Morganiam, à Rufo Nothi filio, qui tunc temporis

rerum potiretur, invadendæ Cambriæ facultatem instanter petierunt; qua semel concessa, consilioque capto assignarunt sibi varias in ea regione provincias, quas invadere constituunt, pro quibus se Regi fidelitatis sacramento obstringunt: veluti Rogerus Salopiensis Comes pro Powisia et Ceretica regione fidelitatem præstitit. Hugo Cestrensis pro Tegenia et Revonocia. Bernardus de Novo Mercatu (de quo supra cap. 2) pro Brechinia. Hugo Lacius pro Ewyas: et hic Arnulphus Rogeri Salopiensis Comitis filius junior fidelitatem fecit pro ista Penbrochiensi provincia quam postea et auxilio Giraldi Winsorii militis strenui obtinuit et habuit: et postquam à Rufo Penbrochiensis Comes esset creatus, universus pagus ille Penbrochiensis comitatus deinceps est appellatus, ut apud hunc auctorem, qui fuit prædicti Giraldi nepos, et non ita multo post, hæc eadem scripsit, videre licet.

[a] Hæc Nesta Resi Principis Demetiæ filia præstantis cujusdam formæ elegantia inter omnes sui temporis mulieres conspicua fuit, ex qua Henricus Primus Angliæ Rex filium genuit nomine Henricum, ut patet infra lib. ii. hujus Itiner. cap. 7. Deinde Giraldus Winsorius eam (Rege consentiente) matrimonio sibi copulavit: unde Mauritius filius Giraldi, David Episcopus Menevensis, atque omnes Giraldidæ Hibernenses genus traxerunt. Post mortem Giraldi, Stephanus Abertivensis Castri Custos eam duxit, ex eaque genuit Robertum Stephanidem, de quo in vaticinali hujus auctoris Historia honorifica fit mentio.

CAP. XIII.

DE TRANSITU PER CAMROS ET NIWEGAL.

Iter igitur ab Haverfordia versus Meneviam quasi milliaribus duodecim inde distantem aggredientes, primo per Camros, ubi pro juvenis egregii, Giraldi scilicet filii Gulielmi, nece, multorum cædibus cruentam nimis et gravem, tempore Stephani Regis, propinqui et necessarii sui, quanquam in hoc minus necessarii, vindictam in Rosenses exercuerant. Deinde per sabulum de Niwegal transivimus, ubi et ea tempestate qua prædictus Anglorum Rex Henricus Secundus in Hiberniæ finibus hyemavit, nec non et aliis fere cunctis partium illarum portubus ab occidente marinis, res contigit non indigna memoratu. Ex nimia nimirum præter solitum procellæ vehementia, sabulosis australis Cambriæ littoribus solo tenus sabulo nudatis, longis operta retro sæculis, terræ facies apparuit, arborum in ipsum mare stipites stantium undique præcisarum, ictusque securium tanquam hesterni, terra quoque nigerrima, lignaque truncorum hebeno simillima: mirandis rerum mutationibus, olim navium via, nunc navibus invia, non littus sed lucus esse videretur: aut forte à diluvii tempore, aut potius longo post, antiquitus tamen præcisus, quoniam maris violentia semper excrescentis et terram amplius eluentis, paulatim absumptus et absorptus. Contigit autem inaudita tempestatis ejusdem rabie, congros aliosque marinos pisces perplurimos trans rupes maris altissimas vi ventorum intra dumeta projectos, à multis reperiri. Apud Meneviam igitur à loci ejusdem antistite Petro, viro videlicet personali et liberali, qui nobis individuus hactenus in via comes extiterat, decenter exhibiti pernoctavimus.

ANNOTATIONES IN CAPUT XIII.

In orientali Cambriæ parte, videlicet Mailora et Trefreda, in locis uliginosis, ubi terra propter aquas hiemali tempore stagnantes mollis minimeque consolidata est, reperiuntur etiam hodie abietum præcisarum stemmata, et aliquando ipsæ abietes miræ longitudinis, ita puræ et integræ ac si infra annum fuissent prostratæ: quibus pro lychnis et tædis utuntur pauperiores, easque verubus et aliis instrumentis in terra quærunt, et cum invenerint effodiunt. Quod eo magis mirandum est, quoniam nullæ hujusmodi arbores in Cambria, aut sativæ aut *ἀυτόματως* provenientes (quod sciam) reperiantur. Hoc tamen verissimum esse his nostris diebus comperimus, non obstante eo quod scribit Cæsar de fago et abiete, libro quinto de Bello Gallico; fieri igitur potest ut talium arborum illi qui ab hoc authore commemorantur stipites fuerint.

ITINERARII CAMBRIÆ

LIBER SECUNDUS.

PRÆFATIO.

Quoniam igitur caput Cambriæ est Menevia, et urbs olim metropolitana, quanquam hodie plus nominis habens quam ominis, antiquæ tamen et autenticæ matris nostræ tanquam exequias plangere, et funus prosequi lamentabile, cineresque semisepultæ lachrymosis deplorare singultibus non abstinui. Qualiter huc igitur, et unde, et à quo tempore pallium allatum, et qualiter ablatum, quot palliis induti antistites, et quot spoliati, eorumque nomina usque ad hæc nostra tempora, paucis absolvam.

ITINERARII CAMBRIÆ

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

DE SEDE MENEVENSI.

Sicut Britannicæ referunt historiæ apud urbem legionum in curia illa magna quam prætaxavimus, beatus Dubritius loci ejusdem tunc temporis Archiepiscopus, David, qui Regis Arthuri (ut dicitur) avunculus extiterat, propter ætatis defectum, et quoniam contemplationi potius indulgere volebat, cessit honorem: et ex tunc procurante David usque Meneviam sedis facta est translatio.[1] Quanquam tamen prior ille locus, sicut in priori libro descripsimus, longe metropolitanæ sedi plus congruerit. Hic etenim angulus est supra Hibernicum mare remotissimus, terra saxosa, sterilis, et infœcunda; nec silvis vestita, nec fluminibus distincta, nec pratis ornata; ventis solum et procellis semper exposita: inter hostiles hodie populos hinc Flandrensem inde Cambrensem frequenter attrita.[2] Ex industria namque viri sancti talia sibi delegerunt habitacula, ut populares strepitus subterfugiendo, vitamque eremiticam longe pastorali præferendo, parti liberius quæ

non auferetur indulgerent; fuerat autem David sanctitate conspicuus et religione, sicut de vita ipsius testatur liber conscriptus. Inter omnia vero quæ de ipso leguntur miracula, tria mihi videntur admiratione dignissima: de origine videlicet ipsius et conceptione, et triginta annis ante ortum præelectione; et quod omnibus præstat, de terra quæ apud Brevy, vidente populo et admirante, sub pedibus prædicantis in collem excrevit.

Sederunt autem à tempore David successivis temporum curriculis Archiepiscopi ibidem viginti quinque, quorum hæc nomina: David, Cenauc, Eliud, qui et Teilaus vocatur, Ceneu, Morwal, Haerunen, Elwaed, Gurnuen, Lendivord, Gorwysc, Gogan, Cledauc, Anian, Euloed, Ethelmen, Elanc, Malscoed, Sadermen, Catellus, Sulhaithnai, Nonis, Etwal, Asser, Arthuael, Sampson. Tempore Sampsonis hujus pallium in hunc modum est translatum: ingruente per Cambriam (isto præsidente) peste quadam, qua catervatim plebs occubuit, quam flavam pestem vocabant, quam et physici ictericiam dicunt passionem, præsul quamquam sanctus et ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam navem scandens, flante circio, cum suis indemnem in Armorica Britannia se suscepit, ubi et vacante tunc forte sede Dolensi, statim ibidem in episcopum est assumptus; unde contigit ut ob pallii gratiam quod Sampson secum hinc illuc attulerat, succedentes ibi episcopi usque ad nostra hæc fere tempora (quibus prævalente Turonorum Archipræsule adventitia dignitas evanuit) pallia semper obtinuerunt. Nostri vero vel propter ignaviam vel paupertatem, aut potius propter Anglorum adventum in insulam et Saxonicam interpositam hostilitatem, ea occasione pristina caruerunt dignitate: semper tamen usque ad plenam (quæ per Anglorum Regem Henricum Primum facta est[3]) Cambriæ subactionem, episcopi Walliæ à Menevensi antistite sunt consecrati: et ipse similiter ab aliis tanquam suffraganeis est consecratus, nulla penitus alii ecclesiæ facta professione vel subjectione. Sederunt autem à Sampsonis ibidem tempore usque ad prædicti Henrici Primi tempora decem et novem, quorum hæc nomina:

Ruelin, Rodherch, Elguin, Lunuerd, Nergu, Sulhidir, Eneuris, Morgeneu, primus hic inter episcopos Meneviæ carnes comedit et ibidem à piratis interfectus est; unde et eadem nocte quam duxit extremam, apparuit cuidam episcopo in Hibernia, ostendens vulnera sua et dicens: Quia carnes comedi, caro factus sum. Nathan, Jevan, hic Jevan una sola nocte vixit episcopus, Argustel, Morgenueth, Ervin, Tramerin, Joseph, Bleithud, Sulghein, Abraham, Wilfredus. Post hos vero subacta jam Wallia usque hodie tres: tempore Regis Henrici Primi, Bernardus; tempore Regis Stephani, David Secundus; tempore Regis Henrici Secundi, Petrus Cluniacensis monachus; qui tres, regio urgente mandato, Cantuariæ consecrationem susceperunt. Sicut et quartus his succedaneus tempore Regis Joannis nomine Galfridus Lanthoniensis Prior et Canonicus, per operam Huberti Cantuariensis Archiepiscopi, in eadem sede promotus et ab eodem consecratus.

De nullo vero Cantuariensi antistite legitur, vel post subjectionem istam vel ante, Cambriæ fines intrasse, præter Baldvinum solum, monachum scilicet Cisterciensem et Abbatem Annafordensem, deinde vero præsulem Wigorniensem, qui legationis hujus occasione et salutiferæ crucis obsequio terram tam hyspidam, tam inaccessibilem et remotam laudabili devotione circuivit, et in singulis Cathedralibus ecclesiis tanquam investituræ cujusdam signum missam celebravit. Adeo autem ante finales hos dies et tempora novissima Menevensis ecclesiam Cantuariensem nullo subjectionis vinculo respiciebat: ut in Anglicana historia Beda referente legatur: Augustinum Anglorum episcopum post conversionem Regis Ethelfredi, et Anglorum populi, episcopos Walliæ in confinio occidentalium Saxonum tanquam sedis Apostolicæ legatum convocasse; et cum septem episcopi venissent, quoniam Augustinus in sella sedens, venientibus Romano fastu non assurrexit, eum superbiæ notantes (sumpto quidem à viro quodam anachorita de gente sua sanctissimo, experimenti illius documento), tam ipsum quam ejus statuta statim reversi spreverunt, nec ipsum

pro archiepiscopo se habituros publice proclamabant, testantes ad invicem: Quia si nunc nobis assurgere noluit, quanto magis si ei subdi ceperimus jam nos pro nihilo contemnet?[4] Quod autem septem tunc erant episcopi Britonum, cum hodie non nisi quatuor, hæc ratio assignari potuit; quia plures tunc forte fuerant in hoc Walliæ spacio quam nunc sunt sedes cathedrales, vel potius se tunc ampliori Wallia fine dilatabat. Inter tot igitur episcopos tanto privatos honore, solus Bernardus ille primus Francorum apud Meneviam episcopus, ecclesiæ suæ jura publice protestans, post multas sumptuosas et graves ad curiam Romanam vexationes, demum nisi factæ professionis, et subjectionis exhibitæ Cantuariensi ecclesiæ, falsi testes in Remensi Concilio, coram Eugenio Papa palam prodiissent, non inefficaciter reclamasset. Tribus igitur fultus auxiliis tam formidabiles tantæ causæ conflictus confidenter est aggressus: Regis videlicet Henrici Primi familiaritate subnixus plurima et favore, tempore pacifico gaudens et pacis sequela sufficientia. Adeo quidem ex nimiæ securitatis audacia, debito de jure quandoque præsumpsit, ut et crucem interdum sibi præferri per Cambriæ fines attemptasset.

Bernardus iste, quanquam in aliquo commendabilis, pompositatis tamen et ambitionis vitio trans modestiam notabilis fuerat. Quoniam enimvero de curia exierat, et plantatio regis extiterat, ad Anglicanas opulentias per translationem semper anhelans (quo morbo laborant fere singuli ab Angliæ finibus hic intrusi) terras ecclesiæ suæ plurimas infructuose penitus et inutiliter alienavit: alias vero tam improvide et tam indiscrete dimisit, ut ubi militaribus officiis decem terræ carrucatas, viginti vel triginta manu amplissima largiretur: ibi divinis Sancti David obsequiis et canonicis ab ipso misere nimis et infeliciter institutis, vix unam, vix duas vel tres impertiret. De duabus autem sedibus istis de quibus facta est mentio, Cantuariensi videlicet et Menevensi, quod mihi videtur juxta moderna tempora paucis edisseram. Illinc hodie regum favor, opum affluentia, suffraganeorum antistitum opulenta numerositas, literatorum et juris

peritorum copia multa: hinc autem omnium istorum defectus et jus remotum. Quapropter nisi per regnorum forte mutationes rerumque vicissitudines magnas, quæ variis et inopinatis eventibus accidere solent, difficilis erit antiqui juris recuperatio. Dicitur autem locus ubi ecclesia Menevensis sita est, et in honore beati Andreæ Apostoli primo fundata, Vallis Rosina; quæ tamen Marmorea potius quam vel Rosea vel Rosina dici posset: quoniam rosis minime, marmore vero plurimum abundat. Labitur autem hic Aluni fluvius, aqua turbida et infœcunda, cœmiterium lateraliter à borea disterminans, sub lapide Lechlavar marmoreo pedibus transeuntium perpolito, de cujus quantitate, qualitate, et nominis ratione in vaticinali Historia disseruimus. Ubi Rex Anglorum Henricus Secundus ab Hibernia rediens per eundem lapidem transeundo devote Sancti Andreæ Sanctique David ecclesiam intrasse describitur in hunc modum: Relictis ergo demum custodibus apud Dubliniam, videlicet Hugone de Lacy (cui jam Mediam in fœodum donaverat) cum militibus viginti; Stephanide quoque et Mauricio Giraldidis, cum aliis viginti; Waterfordiæ vero Humfredo Bohunensi, Roberto filio Bernardi, et Hugone de Grandevilla cum militibus quadraginta; Weixfordiæ Gulielmo Adelmi filio, et Philippo de Breusa cum viginti: Pascali luce secunda, sole recens orto, apud Weixfordiam, exteriore sc. portus limbo, Rex navem scandens circio flante, prospero navigio, in portu Menevensi circa meridiem applicuit.

Accedens itaque Meneviam devote peregrinantium more pedes baculoque suffultus, canonicorum ecclesiæ processionem ipsum debita reverentia et honore suscipientium apud albam portam obviam invenit. Accidit autem ut procedente seriatim processione et rite præcedente, mulier Cambrica ad pedes Regis se subito provolveret, quæ et querimonia de loci illius episcopo facta, et Regi per interpretis linguam exposita, quoniam jus suum statim non assequuta, voce altisona et proterva cum manuum quoque complicatione non modica, cœpit coram omnibus exclamando ingeminare: Vindica nos hodie

Lechlavar, vindica genus et gentem de homine hoc. Cumque ab illis qui Britannicam linguam noverant inhiberetur et expelleretur, ipsa tanto fortius et acrius in hunc modum vociferabatur, alludens illi fictitio vulgari, nec non Merlini proverbio quo dici solebat: Angliæ Regem Hiberniæ triumphatorem, ab homine cum rubra manu in Hibernia vulneratum, per Meneviam redeundo super Lechlavar moriturum.

Erat autem hoc nomen lapidis qui trans flumen Aluni, quod cœmiterium à boreali ecclesiæ parte præterfluendo disterminat, jacens vice pontis fungebatur. Erat autem lapis hic marmoreus et pulcher, transeuntium pedibus superficie tenus (ut dictum est) perpolitus, decem pedes in longum et sex in latum præferens, atque unius pedis spissitudinem habens. Sonat autem Lechlavar Britannica lingua, Lapis Loquax. Erat enim de lapide hoc ab antiquo vulgata relatio quod cum hominis cadaver super illum aliquando deferretur, eadem hora in sermonem prorumpens ipso conatu crepuit medius, fissuram per medium adhuc prætendens; unde et de barbarica superstitione illi antiquitus exhibita usque in hodiernum quoque per ipsum mortuorum corpora non efferuntur. Accedens igitur ad lapidem Rex, quia forte illius vaticinii mentionem audierat, ad pedem lapidis paulisper gradum sistens et eundem acriter intuens, incunctante tamen passu audacter pertransiit: verso itaque vultu ad lapidem respiciens, in vatem invectus, verbum hoc indignanter emisit: Merlino mendaci quis de cætero fidem habet? Legator autem ibi cum aliis astans, et rei eventum observans, ut vatis injuriam vindicaret, sic alta voce subjecit: Tu vero non es rex ille qui Hiberniam conquirere debet, nec de te mentionem Merlinus fecit. Et sic Rex intrans ecclesiam in Sancti Andreæ Sanctique David honore fundatam, fusis devote orationibus et missa solenniter audita à capellano quodam quem solum inter tot loci illius presbyteros ea hora jejunum tanquam ad hoc divina reservaverat providentia: cœna ibidem sumpta, statim ad Castrum Haverfordiæ quasi per milliaria duodecim ab inde distans,

transmigravit. Hoc autem mihi notabile videtur, quod nostris diebus, præsidente videlicet David Secundo, tam fluvium hunc vino manare, quam fontem quem Pistyll Dewi, Fistulam David vocant (quia quasi per fistulam quandam in cœmiterium ab oriente fons dilabitur), lac stillare, constat aliquoties esse compertum. Aves quoque loci istius quæ monedulæ dicuntur, ex longo pacis usu à clericis ecclesiæ eis exhibitæ, adeo quasi mansuetas et domesticas invenias, ut homines nigris indutos non refugiant. Ab hinc autem sereno tempore montes Hiberniæ prospici possunt; mari Hibernico tantum uno contractiore transnavigabili die interjacente: unde Gulielmus Gulielmi Regis Bastardi filius, et Normannorum in Anglia Rex Secundus, qui Rufus est agnominatus, Cambriam suo in tempore animose penetrans et circumdans, cum à rupibus istis Hiberniam forte prospiceret, dixisse memoratur: Ad terram istam expugnandam ex navibus regni mei huc convocans, pontem adhuc faciam. Quo verbo ad Murchardum Lageniæ tunc Principem in Hiberniam forte translato, cum aliquandiu propensius inde cogitasset, fertur respondisse: Nunquid tantæ comminationis verbo Rex ille, si Deo placuerit adjecit? Audito vero quod nullam prorsus Dei mentionem in hoc suo Rex sermone fecisset, tanquam prognostico gaudens certissimo: Quoniam, inquit, homo iste de humana tantum confidit potentia, non divina, ejus adventum non formido.

ANNOTATIONES IN CAPUT I.

[1] DUBRITIUS Demetus, ad Vagæ confluentis ripam ex Eurdila nobili juvencula, ignoto patre natus, magnum apud Britannos doctrinæ et probitatis juvenilibus annis obtinuit nomen; hic ad Vagam fluvium scholas erexit, multosque discipulos in omni literarum genere percelebres habuit, Pelagiana dogmata vehementer et solide refutavit.

Unde primum Tavensis Episcopus et postea legionum urbis (quæ Cambrorum metropolis erat) Archiepiscopus sub Aurelio Ambrosio rege constitutus est. Utherium Pendragonem, et post eum Arthurum ejus filium nothum, regni Britannici diademate insignivit: contra Saxones acerrimum se adversarium opposuit, quos pro suæ gentis republica multis invectivis eleganter scriptis lacessivit. Resignato tandem Archipræsulatu Davidi, reliquum temporis inter discipulos manuum suarum laboribus viventes, privatim et quiete transegit. Obiit 18 Calend. Decembris, anno verbi incarnati 522. De hac sedis translatione vide plura in Annotationibus supra lib. i. cap. 5, Annotat. 6. Hac in re fœde erravit Robertus Cænalis lib. ii. Perioche 6, non intelligens statum Britanniæ ante adventum Augustini monachi in insulam.

[2] Giraldus alibi vocat hanc regionem totius Cambriæ amœnissimam, supra lib. i. cap. 12; verum ibi juxta illud Ovidii

> Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
> Ducit, et immemores non sinit esse sui,

patriam suam et geniale territorium profusioribus laudum titulis prosequitur: hic vero ipsam rei veritatem (sicuti est) respicit; nam in universa Cambria multa loca invenias, longe multumque huic anteponenda, sive aeris salubritatem, sive regionis amœnitatem, sive soli ipsius fertilitatem, aliaque humanæ vitæ commoda respicias.

[3] Quod ad plenam hanc Cambriæ subactionem per Henricum Primum factam attinet, intelligendus author est, vel de Rossensis regionis (in qua sedes Menevensis existit) subjectione, vel de provincia Demetica, quæ tunc maxima ex parte in Normannorum et Flandrorum manus devenerat, ut in Historia Cambriæ manifestum est; nam Venedotia eo tempore possessio fuit Gruffini filii Conani Principis Northwalliæ, et Powisia à filius Belthini Principis tanquam supremis ejus provinciæ dominis tenebatur. Nec fuit plene subacta Cambria, usque ad annum duodecimum Edvardi Primi, cum interfecto Leolino Gruffini

filio, ultimo Cambrorum principe, universa Cambria in manus regis Angliæ devenit.

[4] Gregorius Primus Romæ Episcopus anno 596, misit Augustinum monachum ad Anglos, qui Romanam religionem hominum mandatis et traditionibus refertam illis obtrusit: nam Britanni puriorem Christi doctrinam longe ante à Josepho Aramathensi et Asiaticis ecclesiis susceperant. Apud illos igitur vigebat veritatis prædicatio, doctrina sincera, vivificatrix fides, et purus Dei cultus qualis ab ipsis Apostolis mandato divino Christianorum ecclesiis traditus erat. Unde Galfridus Monumethensis lib. viii. cap. 4 De Gestis Britannorum, In patria, inquit, Brytonum adhuc vigebat Christianitas, quæ ab Apostolorum tempore nunquam inter eos defecerat. Postquam ergo venerat Augustinus à Gregorio, ut dictum est, missus, et ab Ethelberto Rege receptus in Vigorniensi provincia anno 602, synodum celebravit, in hunc finem ut Britanniæ clerum sibi subderet et Romanæ ecclesiæ obsequentem redderet. Ad hanc synodum vocati venerunt Britannorum episcopi septem, nam illis diebus sub Menevensi metropolitano ad eum numerum, Asiaticorum more, principales ecclesias cum ordinationibus habebant, quorum tunc hæc erant nomina, Henfordensis, Tavensis, Paternensis, Banchorensis, Elviensis, Viccensis, ac Morganensis. Venerunt et doctores ad eandem synodum, inter quos Dinotus Cœnobiarcha Banchorensis omnium primus, graviter et docte de non approbanda apud eos Romanorum auctoritate disputabat: fortiter præterea tuebatur Menevensis archiepiscopi, in ecclesiarum suarum gubernatione ratam jurisdictionem, vehementer contendens non esse in Britannorum commodum futurum, vel Romanorum fastum, vel cognitam Anglosaxonum tyrannidem in communionem admittere, affirmans etiam debuisse Gregorium admonere Saxones gentem perfidam, ut si sincere Christianismum admittere vellent, Britanniæ imperium, quod contra sacramentum militiæ per tyrannidem occupaverant, justis dominis et possessoribus quamprimum restituerent. Cum ergo ad Augustini colloquium ituri essent,

solitarium quendam et prudentem virum prius consuluerunt, an ejus mandata sequi, suasque à patribus sumptas traditiones deserere liceret? Si homo Dei est, inquit, sequimini illum. Et unde id probabimus? interrogant. Scitis, ait, Dominum præcepisse, Tollite jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde; si talis ergo sit Augustinus ille, credibile est, quod Christi jugum et ipse portet, ac vobis portandum offerat: si autem et immitis fuerit, constat quia non est à Deo, neque vobis est ejus sermo curandus: Et unde id sciemus? inquiunt: Permittite, ait, ut ipse prior cum suis ad synodi locum veniat, et si adventantibus assurrexerit, scitote, quia Christi servus est, et obtemperate illi: at si vos spreverit aut parvi æstimaverit, et nullum benignitatis signum ostenderit in vultu, cum numero plures sitis, spernatur à vobis et ipse. Cum itaque venissent, et Augustinum in cella ambitiose sedentem, nec eis amicitiæ signum aliquod præbentem vidissent, in iram mox conversi, eumque superbiæ notantes, cunctis quæ illis proposuit contradicebant. Exprobrabat enim eis quod universalis ecclesiæ consuetudini contraria in multis gererent, præsertim in celebratione Paschatis, in ministerio Baptismi, et in prædicationis officio, et quod Romanas traditiones non curarent, mandabatque ut in his atque aliis Romanæ ecclesiæ mores et ritus observarent, arroganter et contumeliose cuncta præcipiendo: at illi nihil horum se facturos, neque illum pro archiepiscopo habituros esse respondebant; quibus ille futura bella promisit, ac mortis ultionem (quæ mox sequebatur) férociter minitabatur. Vide Bedam in sua Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum lib. ii. cap. 2; et prædictum Galfridum. De his ita scribit Mantuanus in Fastis:

> Adde quod et patres ausi taxare Latinos:
> Causabantur eos stulte, imprudenter et æquo
> Durius, ad ritum Romæ voluisse Britannos
> Cogere, et antiquum tam præcipitanter amorem
> Tam stolido temerasse ausu. Concedere Roma

Debuit, aiebant, potius quam rumpere pacem,
Humani quæ juris erant, modo salva maneret
Lex divina, fides, Christi doctrina, senatus
Quam primus tulit ore suo, quia tradita ab ipso
Christo erat, humanæ doctore et lumine vitæ, &c.

CAP. II.

DE TRANSITU PER CEMMEIS, MONASTERIUM SANCTI DOGMAELIS.

Cum igitur Archiepiscopus in ecclesia Sancti David, et ara principali missam summo diluculo celebrasset, relicto ibidem Menevensi Archidiacono prætaxato, eique ad populum officio sermonis injuncto, obviam Reso Principi per Cemmeis versus Aberteivi properavit. Duo vero, quæ in provincia de Cemmeis, alterum his nostris diebus, alterum parum ante, contigerant, mihi non reticenda succurrunt: hoc itaque nostro tempore contigit, juvenem quendam de finibus his oriundum, tantam à bufonibus in ægritudinis lecto persecutionem fuisse perpessum, ut omnes totius provinciæ tanquam ex condicto in ipsum concurrerent; et cum à custodibus et amicis ipsius interfecti fuissent, infiniti semper tamen undique confluentes tanquam Hydræ capita sine numero succreverunt:[1] tandem vero lassatis universis tam necessariis quam extraneis, in arbore quadam excelsa mutilata frondibus et lenigata in loculo quodam est sublimatus; nec ibi venenosis tutus ab hostibus, imo certatim in arborem rependo petitus, ut usque ad ossa consumptus interiit. Nomen vero juvenis fuerat Sisillus Esceir hir, id est, tibia longa. Simile quoque legitur occulto Dei judicio, sed nunquam injusto, murium majorum, qui vulgariter Rati dicuntur, in virum quendam olim factam persecutionem.[2] In eadem provincia tempore Regis Henrici Primi contigit, ut vir quidam locuples à boreali montium de Præseleu latere mansionem habens, tribus noctibus continue in somnis moneretur, quatenus in fonte proximo, qui S. Bernaci fons dicebatur, lapidi qui scaturigini fontis supereminebat, manum submittens, aureum inde torquem extraheret. Qui die tertio monitis obtemperans, viperino ibidem morsu lethalem

in digito læsionem suscepit. Sed quoniam multos è diverso thesauros per somnia constat inventos fuisse, mihi quidem verisimile videtur sicut rumoribus sic et somniis credi oportere, et non oportere, locum communem esse.

Quod autem in principali de Cemmeis castro, scilicet apud Lanheuer, nostro notabile contigit ævo, hic non prætereo. Resus filius Gruffini, instinctu Gruffini filii sui viri versipellis et versuti, viro nobili Gulielmo filio Martini genero suo, contra sacramenta plurima eidem super indemnitate et securitate sua sibi tanquam filio perpetuo conservanda plures super reliquias preciosissimas corporaliter præstita castellum suum de Lanheuer[3] ei viribus armatis et obsidione sustulit, et Gruffino filio tradidit, contra sacramentum et de castro eodem ei nominatim non tradendo specialiter datum. Sed quoniam

Non habet eventus sordida præda bonos,

Dominus, qui per prophetam suum clamat: Mihi vindictam, et ego retribuam, in brevi post, machinatori sceleris et auctori Gruffino munitionem auferri, hominique sub sole quem magis exosum habebat, Malgoni suo fratri tradi fecit. Resus quoque circa biennium post ibidem ubi filiam suam imo filias duas et nepotes exhæredare curavit, exquisito divinitus vindictæ modo in bellico conflictu à filiis est captus, et in eodem castro incarceratus; et sic ubique turpitudinem majorem et enormiorem excessum perpetravit, ibi dedecus e contra majus et ampliorem suscipere meruit confusionem. Illud et hic notabile censui, quod eodem quo istud ei accidit tempore, torquem Sancti Canauci de Brecheinoc, apud Dinevour captum tenebat et inclusum, per quod et ipse ultione divina capi meruit et includi.

Apud cœnobium itaque Sancti Dogmaelis pernoctantes, tam ibi in crastino quam versus Aberteivi, id est, casum Teivi fluminis in mare: ubi à Reso Principe ea nocte decenter exhibiti fuimus. Ex latere tamen Cemmesensi, non procul à ponte, convocato partium illarum populo, et tam Reso quam duobus filiis suis, Malgone scilicet et

Gruffino præsentibus, verbo Domini tam ab Archiepiscopo quam Menevensi Archidiacono persuasoriè prolato, ad crucis obsequium multos alleximus: quorum uno cruce signato, quanquam unico filio, et unico matris senio jam confectæ solatio: eundem statim mater intuita, et divinitus, ut videbatur, inspirata subjecit: Gratias tibi charissime Domine Christe Jesu intimas ago, quod talem mihi filium, quem tuo dignareris obsequio parere concessisti.

Fuit et alia ibidem mulier, matrona videlicet de Aberteivi, animo à priore longe dissimili, quæ virum suum, ne ad archiepiscopum iret, neve crucem susciperet, per pallium et zonam firmiter tenens, coram cunctis impudenter retrahebat. Sed eadem tertia post nocte terribilem hanc in somnis vocem audivit: Servientem meum mihi abstulisti, quamobrem et à te quoque, quod plurimum diligis auferetur. Qua visione viro cum utriusque tam admiratione quam terrore relata, cum iterum obdormisset, filium parvulum, quem secum in thoro materna plus dilectione quam diligentia jacentem habebat, non minus infeliciter quam insuaviter oppressit; et statim vir à diocesano episcopo tam visionem referens quam vindictam, crucem suscepit, uxore favente, ipsa quoque signum sponte propriis manibus armo virili inserente vel insuente.

In loco vero prædicationis, juxta caput pontis tanquam tanti conventus memoriale locum capellæ in viridi planicie statim plebs devota signavit, ubi vestigia loquendo ad populum Archiepiscopus fixerat altare designantes, ubi et multa miracula languentium turbis hinc undique confluentibus, quæ singula referre longum esset, certum est contigisse.

ANNOTATIONES IN CAPUT II.

[1] Hydram monstrum fuisse in Lerna palude finxerunt poetæ, multa habens capita, quorum quibusdam excisis, alia continuo renascebantur. Hoc tandem ab Hercule sagittis et igne ferunt interfectum. Quo *σοφιστικὴν* acutissimam intelligebant, quæ ita quæstiones solebat proponere, ut uno soluto dubio multa subnascerentur.

[2] Inscrutabilia sunt omnino divina judicia, et ab omni humana ratione penitus remota, quorum quædam ad incutiendum impiis terrorem, præter naturalem rerum ordinem despicatissimis contemptissimisque mediis, sine ulla evitatione fiunt. Historiæ tradunt, Antiochum et Herodem, principes scelere et impietate insignes, divini numinis vindicta à pediculis fuisse exesos. Tradit quoque Matthæus Parisius consimilem huic relationem de comite quodam Germano, sic scribens: Anno Domini 1089, Alemanicus comes quidam Henrici Imperatoris persecutor gravissimus, cum quodam die tristis ad mensam resideret, ministrantium stipatus catervis, ita repente à muribus est circumvallatus, ut nusquam sibi diffugium appareret; tantus enim erat illarum numerus bestiolarum, ut in regione nulla tantam copiam esse credideris. Itaque famuli fustibus et baculis arreptis, cum muribus occurrissent, diu in illos sævientes, nihil penitus profecerunt: quin dominum solum dentibus terribili quodam corrosu laniarunt; et quamvis à ministris magno conatu baculis et fustibus percuterentur, nulli tamen damnum inferebant, quia ministri nec ipsas tangere bestiolas, aut lædere potuerunt. Quamvis autem cum ministris longius in pelagum navi delatus esset, tamen murium violentiam non evasit; nam illico tanta bestiolarum multitudo inundavit in pelago, quæ navis tabulata corrodens perforavit, ut certum naufragium aqua per rimas ingrediens minaretur. Unde famuli hæc

videntes, puppem ad littus celeriter retorquebant: mures autem ante navem ad terram venientes, miserum illum in aridam devectum invaserunt; qui mox totus à bestiolis illis dilaceratus horrendam earum famem in momento refecit: hæc ille.

[3] Lhaneuer, alias Aberneuer (sic dicta, quod in ostiis Neueræ fluminis sita sit) et, ut alii volunt, Trefdraeth. Hoc oppidum est, quod Normanni victores, quorum dux fuit Martinus quidam Turonensis, pater hujus Gulielmi filii Martini, Novum Portum appellaverunt.

CAP. III.

DE FLUVIO TEIVI, CARDIGAN, ET EMELYN.

Labitur autem hic fluvius egregius, cui nomen Teivi, præ cunctis Cambriæ fluviis salmone præpingui fœcundissimus: habet et piscariam copiosam juxta Cilgarran, in summitate rupis cujusdam, Sancti Ludoci manibus olim excultam, in loco qui dicitur Canarch Mawr, per quam aqua prædicta transcurrens ab alto (ut assolet) cum strepitu magno ad ima ascendit, ubi et salmones ab imis ad summam rupis concavitatem, quantum hastæ longissimæ est altitudo saltu mirabili transferuntur, et (nisi piscis proprietas hoc exigeret) miraculoso: hoc etenim piscium genus saltum appetit ex natura, unde et à saltu salmo nomen accepit. Modus autem saliendi et proprietas, sicut in Hibernica Topographia descripsimus, hæc est: Pisces hujusmodi naturaliter aquæ cursum contra intentantes (sicut enim avibus contra flatus, sic et piscibus contra fluctus mos est eniti), cum obstaculum inveniunt præruptum, caudam ad os replicant; interdum etiam ad majorem saltus efficaciam caudam ipsam ore comprimunt, dumque à circulo hujusmodi se subito resolvunt cum impetu quodam tanquam virgæ circulatæ explicatione, se ab imis ad alta, cum intuentium admiratione, longe transmittunt. Stant autem simul in angusto sc. terræ arpento ecclesia sancti illius, molendinum, cum ponte et piscaria, et pomerium cum horto delectabili. Habet et aliud fluvius iste sua specialitate notabile: inter universos namque Cambriæ seu etiam Loegriæ fluvios, solus hic castores habet. In Albania quippe, ut fertur, fluvio similiter unico habentur, sed rari. De cujus bestiæ natura qualiter à sylvis ad aquas materiam vehant; quanto artificio

ex attracta materia mediis in fluctibus munimenta connectant; quam defensionis artem contra venatores in occidente prætendant, quam in oriente; de caudis quoque pisceis pauca interserere non inutile reputavi.

Castores enim, ut castra sibi in mediis fluviis construant, sui generis servis pro rheda utentes, à sylvis ad aquas lignea robora miro vecturæ modo contrahunt et conducunt. Quidam enim ex his naturæ imperio servire parati, ligna ab aliis præcisa ventrique supino imposita quatuor pedibus complectentes, lignoque in ore ex transverso locato, dentibus ab aliis hinc inde cohærentibus, retrogradèque trahentibus, non absque intuentium admiratione, simul cum oneribus attrahuntur. Simili quoque naturæ artificio in scrobium purgatione, quas sibi pedibus in terram fodiendo scalpendoque conformant, melotæ utuntur. In aliquo vero profundissimo fluvii angulo et pacifico, in castrorum constructione tanto artificio ligna connectunt, ut ne aquæ stillæ de facili penetrando subintret, nec procellæ vis labefactando concutiat, nec violentiam quamlibet præter humanam, et hanc ferro munitam, reformident. Ex salicum etiam ramis in castrorum constructione ligna connectunt, foliisque variis in altum quantum aqua excrescere solet, et ultra ostiis interius à solio in solium aptatis, machinam distinguunt, ut juxta fluminis incrementa fluctuantes undas (cum voluerint) ab alto despicere valeant. Ex salicibus autem, ut per annos crescendo salicum saltus, hispidum exterius silvescat arbustum, tota interius arte latente.

Hoc animal in aquis ad libitum perdurat, et sub eisdem more ranarum velutique phocæ pilosæ, quæ fluxum maris atque refluxum levitate pilorum et hispitate declarant, halitum fovet. Sub aquis igitur, indifferenter et sub dio, tria hæc animalium genera spiritum trahunt, suntque tibiis curtis, corpore lato, caudis nullis vel quasi mutilatis, et talpis quodammodo sive melotis in corporis compositione conformia. Notandum etiam, quatuor hæc solum dentes bestia præfert, oris anteriori parte duos supra, et duos inferius e contra, eisque

latis plurimum, et acutis tanquam dolabris utitur ad secandum. Habent autem in proxima castris ripa scrobes subterraneas, latibulaque in sicco munitissima, ad quæ venator explorans dum præacutis sudibus desuper transpenetrare molitur, ictum audiens et violentiam timens, quam citius ad castri munimenta se bestia confert; sed primo ad ipsum foraminis ingressum in ripa residens aquam exsuflat, pedibus scalpendo terram immiscet, et ex limpida visuique pervia turbidam reddit et cœnulentam, ut sic hostis à ripa cum fuscina ferrea saltum observantis artem arte deludat. In eis autem regionibus, cum canes narium sagacitate sequaces se nullatenus effugere posse præsentit, ut damno partis totum redimat, partem quam appeti naturali industria novit projiciendo, venatoris in conspectu seipsam bestia castrat, unde et à castrando Castor nomen accepit. Præterea si bestiam præcastratam canes iterum forte prosequantur, ad eminentem se statim conferens locum, coxa in altum elevata partem venatori, quam appetit, præcisam ostendit. De quibus Cicero in Scauriana, redimunt se ex illa parte corporis, propter quam maxime expetuntur. Juvenalis: Qui se eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno testiculi; et Bernardus:

Prodit item castor proprio de corpore velox
Reddere, quas sequitur hostis avarus opes.

Sic igitur ut hinc pellem, quæ in occidente quæritur, tueri valeat: illinc partis medicinalis, quæ in oriente diligitur, largitione, totum quanquam tamen non totum conservet, mirabili (ne dicam ingenio) vi quadam ingenita et quasi discretiva, venatoris astutiam vitare molitur. Notandum quoque, quod castores caudas habent latas, et non longas, in modum palmæ humanæ spissas, quibus tanquam pro remigio natando funguntur, cumque totum corpus reliquum pilosum habeant, hanc partem omni pilositate carentem in morem phocæ marinæ planam habent et levigatam: unde et in Germania Artoisque regionibus, ubi abundant Bevers caudis hujusmodi piscium, ut

aiunt, naturam tam sapore quam colore sortitis, viri etiam magni et religiosi jejuniorum tempore pro pisce vescuntur. Videtur tamen, quod juris in toto quoad totum, hoc in parte quoad partem, nec pars à toto tanta generis diversitate distare consuevit.

Transivimus autem à castro prædicto versus pontem Stephani, Cruc Mawr, id est, colle magno, juxta Aberteivi à sinistro latere relicto; ubi Gruffinus filius Resi filii Theodori post obitum Anglorum Regis Henrici Primi in bello publico, de Anglorum populo per necem nobilis viri Richardi Clarensis juxta Abergevenni (ut dictum est paulo ante) interempti, sine capite relicto: et ob hoc in impetu primo statim confecto, stragem non modicam fecit, in summitate collis ejusdem tumulus reperitur, quem se cuilibet staturæ præstare conformem incolæ testantur; et si arma quæcunque vespere ibidem integra relinquantur, mane confracta vulgari assertione reperientur.

ANNOTATIONES IN CAPUT III.

Castor, ab extremis amnium fibris, in quibus degit, Fiber Latine dicitur, et Græce *κάστωρ*, quasi *γάστωρ*, quod ventrem magnum habeat, ut etymologici tradunt. Hoc animal est ex iis quæ Græci *ἀμφίβια* vel *ἔνυδρα* vocant, admodum simile lutræ, nisi quod cauda piscis sit, ut refert Plinius lib. viii. cap. 30, cui mollior pluma pilus est. Effossis in ripa cuniculis caudam intra aquas tenet, reliquo corpore in sicco habitat. Castor, ut tradit Albertus Magnus, pedes posteriores anserinos habet, quibus facilius natet, anteriores vero caninos. Hic comprehensa hominis parte, non ante quam fracta concrepuerint ossa, morsum resolvit. Hujus generis animalium gregatim in Ponto reperiuntur quamplurimi, unde castor canis Ponticus à quibusdam vocatur, et castorium Ponticum optimum ducunt medici. Hodie nullus castor in Cambria reperitur, nec quale sit animal vulgus cognoscit. Vide Dioscoridem et Plinium.

CAP. IV.

DE TRANSITU PER PONTEM STEPHANI, PER MONASTERIUM QUOQUE DE STRATFLUR, PER BREVI, ET ECCLESIAM PATERNI MAGNI.

Apud Stephani vero pontem sermone in crastino facto tam ab Archiepiscopo quam Menevensi Archidiacono, nec non et abbatibus Cisterciensis ordinis duobus de Alba domo, Sancto Johanne, et Stratflur Sisillo, qui nobis in partibus istis et usque in Norwalliam fideliter astiterunt; plurimis quoque ad crucis obsequium allectis, ea nocte apud Stratflur moram fecimus.[1] Progressis inde parum, montanis de Moruge magnis et immensis, quæ Cambrice dicuntur Ellennith, à latere dextro relictis, in sylvæ cujusdam ora obviavit nobis Cyneuricus filius Resi juventute septus expeditissima. Adolescens ille flavus et crispus, pulcher et procerus, ut patriæ gentique morem gereret, pallio tenui solum et internula indutus, tibiis et pedibus nudis tribulos et spinas non formidantibus: vir non arte quidem, sed natura munitus, plurimum quippe dignitatis ex se præferens, ex adjuncto parum. Sermone igitur tribus filiis adultis, Gruffino scilicet, Malgoni, et Cyneurico, in præsentia patris ibidem facto, et altercantibus de crucis susceptione fratribus, tandem Malgo se cum Archiepiscopo ad Curiam Regis iturum firma sponsione concessit; et tam Regis quam Archiepiscopi consilio (nisi per ipsos steterit) obtemperaturum. Transivimus inde per Landewi Brevi, id est, Ecclesia David de Brevi, quæ sita est in collis vertice, qui sub pedibus ejusdem David prædicantis olim excreverat; in illa sc. synodo magna episcoporum omnium et abbatum Cambriæ totius, nec non et cleri universi ibidem una cum populo collecta propter Pelagianam hæresim, quanquam olim

à Beato Germano Altisidiodorensi Episcopo ab insula Britannica deletam, his denuo in partibus recidivo morbo redivivaque peste jam tunc emersam.[2] Ubi et unanimi totius conventus tam electione, quam acclamatione ob tanti miraculi signum, quanquam invitus et renitens David, in Archiepiscopum est sublimatus: præsertim cum Beatus quoque Dubricius in memorata urbis legionum curia eidem paulo ante sua tam destinatione quam nuncupatione cessisset honorem, sede metropolitana ab urbe legionum usque Meneviam abhinc translata. Ea igitur nocte apud Lhanpadarn Vawr, id est, Ecclesiam Paterni magni, mora facta, mane ad Christi obsequium plures alleximus. Notandum autem, quod hæc ecclesia, sicut et aliæ per Hiberniam et Walliam plures, abbatem laicum habet. Usus enim inolevit et prava consuetudo, ut viri in parochia potentes, primo tanquam œconomi seu potius ecclesiarum patroni et defensores à clero constituti: postea processu temporis aucta cupidine totum sibi jus usurparent, et terras omnes cum exteriore possessione sibi impudenter appropriarent, solum altaria cum decimis et obventionibus clero relinquentes; et hæc ipsa filiis suis clericis et cognatis assignantes. Tales itaque defensores seu potius ecclesiarum destructores abbates se vocari fecere, et tam nomen indebitum quam rem quoque sibi assignari præsumpsere. In hoc statu ecclesiam hanc invenimus capite destitutam, veteri quodam et inveterato dierum malorum (cui nomen Eden Oen filius Gwaithvoed) se abbatem gerente, et filiis ejusdem altari incumbentibus. Tempore tamen Regis Henrici Primi Anglorum potestate per Cambriam vigente, cœnobium S. Petri Gloverniæ, prædictam ecclesiam quiete possedit; sed post obitum regis ejusdem, Anglis expulsis, monachi quoque sunt ejecti, et more præfato tam clerici interius quam laici exterius violenter intrusi. Contigit autem regnante Stephano, qui successit Henrico Primo, militem quendam de Armorica oriundum Britannia, peragratis regionibus multis, ut variarum gentium tam urbes quam mores discerneret, huc tandem forte fortuitu advectum esse; cum itaque die quodam

festivo ad missæ celebrationem adventum abbatis tam clerus quam populus expectaret, demum abbati venienti cum aliis occursans, vidit turbam juvenûm venire circiter viginti more gentis expeditam, et armis munitam: cumque quærenti, quisnam illorum abbas esset, virum quendam ostenderent cum lancea longa præcedentem: intuens in eum, et admirans ait: Nunquid alium habitum aliumve baculum abbas iste, quam illum, quem nunc præfert, habet? Responderunt, Nequaquam. At ille: Sat, inquit, hodie novitatis vidi, satque miraculi jam audivi. Et ab illa statim hora reversus finem labori posuit et explorationi. Jactat autem gens hæc et generatio prava, episcopum quendam ecclesiæ istius (quia cathedralis aliquando fuerat) à decessoribus suis interemptum; et hac præcipue allegatione in loco eodem jus sibi vendicant et proprietatem. Elegimus itaque has potius enormitates ad præsens sub dissimulatione transire, quam (nullo ibidem querimoniam deponente) gentem iniquam exasperare.

ANNOTATIONES IN CAPUT IV.

[1] Monasterium de Strata florida, à Demetico principe constructum, alterum fuit è duobus cœnobiis, in quibus Cambriæ nobiles sepulti jacent; aliud fuit apud Connovium Venedotiæ urbem, à principe ejus regionis extructum, quod Aber-conwy Cambrice dicitur. In his duobus monasteriis annales principum et nobilium Cambriæ conservabantur, in quibus eorum genealogiæ, nativitates, connubia, et obitus notabantur. Principes autem Powisiæ fere omnes humati jacent in ecclesia de Myvot, quæ et ipsa antiquitus ecclesia archidiaconalis totius Powisiæ fuisse perhibetur; postea vero in parochialem ecclesiam conversa fuit. Sita hæc est ad Marnoviæ confluentis ripam non procul à Mathraval, quod præcipuum erat ejus provinciæ

palatium. Hic Mediolanum (quod Ptolomæus et Ethicus ad occidentem inter Ordovices posuerunt) olim fuisse nonnulli affirmant; extant ibidem adhuc (præter constantem incolarum asseverationem, à parentibus ad posteros transmissam) quamplurima venerandæ antiquitatis monumenta, quæ urbis cujusdam vestigia manifeste indicant.

[2] Pelagius genere Britannus, ut testatur Bedas, vel, ut vult Polychronici auctor, Romanus, aut, ut ecclesiastici scriptores tradunt, Brito Armoricanus, in eam opinionem flagitiose atque turpiter incidit, ut hominem suis meritis, sine gratia Dei, salutem consequi posse, et unumquemque ad justitiam propria voluntate regi, impie doceret atque defenderet; hoc suæ perfidiæ venenum longe lateque dispersit, per Julianum quendam de Campania et Leporium Agricolam Severiani Episcopi filium, ipsiusque Pelagii discipulum, cujus opera universam Britanniam hoc pestilenti dogmate infecit; unde Britanni à Gallicanis ecclesiis ad hoc incendium extinguendum opem auxiliumque petebant, quorum petitioni tam justæ tamque necessariæ inclinantes Galli, Germanum Altisidiodorensem, et Lupum Trecasinum Episcopos, viros fide ac virtute divina pollentes, tum sermone facundos et disserendo acres, qui huic recenti hæresi divino verbo resisterent, in Britanniam miserunt. Hi habita cum Pelagianis disputatione, verbi divini pugione adversarios confodiunt, eosque ad palinodiam cogunt, ita ut Leporius ab eo tempore Pelagii doctrinam penitus repudiaverit. His itaque peractis, Episcopi supradicti, Britannis eorum opera à Pelagianismo vindicatis, et in Evangelii doctrina firmatis, ad suas sedes reversi sunt. Postea tamen hujus pestis semina et initia, quæ optime extincta putabantur, ab impiis quibusdam rursus excitata atque sæpius repetita sunt, donec Dubricius urbis legionum Archipræsul omnes Cambriæ episcopos reliquosque verbi ministros in unum locum convocari fecisset, ubi David graviter et nervose absurdam Pelagii doctrinam, solidis rationibus è sacræ scripturæ fontibus petitis, ita refutavit, ut magnam sibi

doctrinæ et sanctitatis opinionem consequutus sit; ex qua re vulgus postea quamplurimas fabulas confinxit.

[3] Paternensis ecclesia una erat ex septem ecclesiis cathedralibus, quæ metropolitano urbis legionum suberant, quorum episcopi ab Augustino Anglorum Apostolo, ad suam synodum vocati sunt, de quibus vide supra lib. ii. cap. 1, annotatione 4, et Matth. Parker de Antiquitate Ecclesiæ Britannicæ. Hanc Gilbertus Clarensis Comes, cum Cereticam regionem sibi subjugasset, cum omnibus decimis, oblationibus, et aliis ecclesiasticis emolumentis, monachis cœnobii Sancti Petri Claudiocestrensis dedit et concessit, qui eam pacifice tenuerunt viginti sex annorum spatio circiter, donec tempore Stephani Regis, circa anno 1136. Ceretica provincia per Oenum et Cadualadrum Gruffini Venedotiæ Principis filios, et Normannorum et Anglorum manibus erepta, et veteribus incolis restituta est, ut supra lib. i. cap. 9, in annot. Quo tempore etiam hi abbates, quos laicos Giraldus appellat, hujus ecclesiæ possessionem nacti sunt; qui revera melius ad publicam patriæ utilitatem ejus fructibus usi sunt, quam monachi Claudiocestrenses; nam tametsi hi non magis, quam illi populum docerent, loci tamen pauperes ecclesiæ redditibus alebant, quod ab illis factum non erat. In aliis suum cuique judicium relinquo.

CAP. V.

DE FLUVIO DEVI, ET TERRA FILIORUM CONANI.

Accedentes igitur ad aquam Devi, quæ Norwalliam secernit à Sudwallia, reverso jam Menevensi Episcopo cum Reso Gruffini filio, qui nos à castro de Aberteivi per Ceredicam regionem usque ad aquam istam laudabili in principe liberalitate deduxit; transcurso navigio flumine, et Menevensi diocesi jam post terga relicta, terram filiorum Conani, scilicet Merionyth, et primam ea ex parte Venedotiæ provinciam, et Episcopatum Banchoriensem intravimus, apud Towyn pernoctantes. In crastino vero mane occurrit nobis filius Conani Gruffinus, quod diutius Archiepiscopo venire distulisset humiliter et devote veniam petens. Transivimus eodem die navigio bifurcum Maviæ flumen, ubi Malgo filius Resi, qui individuum Archiepiscopo ad Curiam Regis se comitem dederat, juxta mare vadum invenit. Ea nocte jacuimus apud Lhanuair, id est, Ecclesiam Mariæ, in provincia de Ardudwy. Hæc autem terra Conani, et præcipue Merionyth, omnium totius Cambriæ terrarum hispida magis est et horribilis; habet enim montes altissimos, arctos tamen, et in arcis modum acutissimos, nec raros quidem, sed creberrimos, et tanta inæqualitate consertos, ut in summis eorum verticibus pastores confabulantes ad invicem vel convitiantes, si concurrere forte statuerint, à mane in vesperam vix convenient. Sunt autem his in partibus lanceæ longissimæ; sicut enim arcu prævalet Sudwallia, sic lanceis præstat Venedotia, adeo ut ictum hìc lancea cominus datum ferrea loricæ tricatura minime sustineat. In crastino obviavit nobis filius Conani junior, cui nomen Meredythus, in transitu pontis cujusdam

cum plebe provinciæ illius; ubi quamplurimis ad crucem allectis, tandem uno de familia ipsius cruce signato juvene pervalido, eique familiarissimo, quoniam pallium, cui crux assui debuerat, tenue nimis et vile videbatur, cum uberrimo lachrymarum fonte, suum ei Meredythus pallium projecit.

ANNOTATIONES IN CAPUT V.

Peragrata jam universa provincia Demetica, pergit Archiepiscopus ad Venedotiam, et ingreditur Merviniam, Devo confluente trajecto. Hæc regio antiquitus Meraonia dicta est, à Meraone filio Tibeaonis filii Cunedagii, sive Cunethæ, de quo Gildas Britannus mentionem facit: et etiam Mervinia à Mervino Lentigenoso Roderici Magni patre, ejus provinciæ domino, qui postea jure uxoris rex factus est Cambriæ; de qua Lelandus in Genethliaco:

Porrigitur vasto fluvii trans ostia Devi
Tractu terra potens hastis Mervinia longis:
In qua castrum ingens Arlecha crepidine saxi.

In hac regione est lacus Tegydius, de quo infra, c. 11, et in annot. ibidem.

CAP. VI.

DE TRAETH MAWR ET TRAETH BACHAN TRANSCURSIS; DE NEVYN QUOQUE, CAERNARVON, ET BANCHOR.

Transivimus inde Traeth Mawr, et Traeth Bachan, id est, tractum maris majorem, et tractum minorem, ubi duo castra lapidea de novo sita fuerunt, unum in Evionyth versus montana borealia, quod erat filiorum Conani, cui nomen Deudraeth; alterum vero, ex alia fluvii parte versus mare in capite Lhyn, quod erat filiorum Oeni, cui nomen Carn Madryn.[1] Dicitur autem Traeth lingua Cambrica, sabulum mari influente longius et se retrahente nudatum. Transieramus tamen aquas antea non ignobiles, Dissennith inter Maviam et Traeth Mawr, Arthro inter Traeth Mawr et Traeth Bachan. Ea nocte jacuimus apud Nevyn, videlicet vigilia Paschæ floridi, ubi Merlinum Silvestrem diu quæsitum, desideratumque archidiaconus Menevensis dicitur invenisse.

Jacet autem extra Lhyn insula modica quam monachi inhabitant religiosissimi, quos Cælibes vel Colideos vocant; hæc autem insula vel ab aeris salubritate quam ex Hiberniæ confinio sortitur, vel potius aliquo ex miraculo ex sanctorum meritis, hoc mirandum habet, quod in ea seniores præmoriuntur, quia morbi in ea rarissimi; et raro vel nunquam hic nusquam moritur, nisi longa senectute confectus. Hæc insula Enhli Cambrice vocatur, et lingua Saxonica, Berdesey; et in ea, ut fertur, infinita sanctorum sepulta sunt corpora; ibique jacere testantur corpus Beati Danielis Banchorensis Episcopi.[2]

Plurimis igitur in crastino ad Archipræsulis sermonem cruce signatis, versus Banchor iter arripientes, transivimus per Caernarvon, id

est, castrum de Arvon. Dicitur autem Arvon, provincia contra Mon, eo quod sita sit contra Monam insulam. Venientibus itaque nobis ad vallem via duce, tam in ascensu quam in descensu valde præruptam, cuncti ab equis dilapsi pedites porreximus, ex condicto, tanquam Hierosolymitanæ peregrinationis (sicut tunc credebatur) jam instantis quædam præludia facientes. Valle igitur transmeata, cum ad partem oppositam transcenderemus, fatigatis universis, in quercu quadam vi ventorum stirpitus avulsa et prostrata, quiescendi respirandique gratia cum Archiepiscopus resedisset, laudabilem in tanto tamque gravitatis autenticæ viro, resolutus in jocunditatem circumstantibus ait: Quis vestrum in hac turba sibilando aures delectare nunc prævalet fatigatas? Quod fessis ex itinere fieri solet difficile. Ipso vero se id posse si vellet, protestante, auditur in sylva propinqua sibilus aviculæ dulcisonus, quam alii picum, alii verius aureolum dixere. Dicitur autem picus avicula lingua Gallica Spec dicta, quæ rostro robusto quercum perforans, majorem viribus ictus ingeminat.[3] Dicitur et aureolus avicula aureo croceoque colore conspicua, dulcemque suo in tempore pro cantu sibilum reddens, quæ et aureolus ab aureo colore nomen accepit. Ad hæc igitur quodam dicente, nunquam philomenam partes istas intrasse; subjunxit Archiepiscopus modesta quadam subrisus significantia: Philomena quidem sapienti freta est consilio, quæ Cambriæ fines non intravit: nos autem insipienti, qui Cambriam et penetravimus et circuimus. Ea igitur nocte moram fecimus apud Banchor,[4] cathedralem videlicet Venedotiæ sedem, à loci ejusdem episcopo decenter exhibiti. In crastino vero missa in principali altari ab Archipræsule celebrata, sedis ejusdem antistes, cui nomen Guianus, à dextris altaris ad magnam tam Archiepiscopi, quam aliorum plurium instantiam, et importunam magis quam persuasoriam, ad crucis susceptionem est compulsus, cum magna suorum in ipsa ecclesia lamentatione, miserabilique sub barbara quadam vociferatione utriusque sexus hominum tam clamore quam mœrore.

ANNOTATIONES IN CAPUT VI.

[1] CONANUS filius Oeni filios habuit Gruffinum et Meredythum ejus fratrem, de quibus in superiore capite mentio fit, horum possessio fuit præter Merviniam castrum Deudraeth. Carn Madryn autem, tametsi patris eorum possessio fuerat, pertinebat tamen hoc tempore ad Rothericum et Malgonem filios Oeni cognomento Gwyneth, Venedotiæ Principis. Vide cap. sequentis annot. 1.

[2] Referunt historiæ Cambriæ post Banchorensis cœnobii per Ethelfredum Northumbrium vastationem, Christianorum viginti millia, ut Saxonum crudelitatem vitarent, in hanc insulam confugisse, atque ibi eremiticam vitam traducentes fato concessisse, quos ejus regionis incolæ Yr ugein mil Saint appellant. Quod verumne sit an secus, aliis discutiendum et definiendum relinquo.

[3] Picus avis est Marti sacra, quæ Aristoteli *δρυοκολάπτης* vocatur, aduncis unguibus, quæ felium more arbores in subrectum ascendit, percussitque corticis sono pabulum subesse intelligit. Pullos in cavis arborum educat: cuneos à pastoribus cavernæ ori impactos admota herba quadam expellit.

[4] Ban lingua Britannica locum significat, Chorus multitudo est eorum qui religionis ergo conveniunt. Sic appellabat Daniel Aronius ecclesiæ suæ sedem. Tres fuerunt ecclesiæ ab illo eodem nomine fundatæ; una in Arvonia, ubi præsidebat ipse, de qua hic loquitur Giraldus; secunda in Mailora, ubi celebre illud cœnobium fuit, cujus mentio fit apud Bedam et Galfridum; tertia in Hibernia, quæ omnes hodie Danielem patronum agnoscunt.

CAP. VII.

DE MONA INSULA.

His ita peractis transivimus in Monam insulam, quasi milliaribus duobus inde distantem, brevi maris brachio transnavigato; ubi et junior Oeni filius Rothericus cum insulæ totius, nec non et terrarum adjacentium populo, nobis devotus occurrit. Facta igitur in loco quodam non procul à ripa confessione, petrosis rupibus in theatri modum orbiculariter circumstantibus, ad sermonem Archiepiscopi, et ejusdem loci Archidiaconi, et interpretatis nostri Alexandri, nec non et abbatis de Stratflur Sisilli, multi de plebe ad crucis obsequium sunt allecti. Sedebant autem in opposita rupe de familia Rotherici juvenes electi, quorum nullus allici potuit, quanquam tamen illos, mel frustra de petra elicere conantes, et oleum de saxo, tam Archiepiscopus quam alii præcipue ad ipsos sermone directo, verbis suasoriis nec persuasoriis invitarent. Contigit autem post intra triduum, tanquam divina ultione secuta, quod juvenes hi cum aliis multis prædones patriæ persequerentur, qui statim à prædonibus confecti et in fugam dati, interemptis quibusdam, et aliis lethaliter vulneratis, crucem quam antea spreverant, in carne sibi invicem jam ultronei affixerunt. Rothericus quoque, qui sanguine sibi propinquam, et in tertio gradu cognatam, Resi Principis filiam paulo ante incestuoso contubernio copulaverat, ut contra fratrum filios (quos exheredita-verat) se Resi auxilio fortius tueretur, salutaribus Archiepiscopi monitis super hoc non obtemperans, à tota, quam possederat, terra in brevi postmodum ab eisdem est ejectus; unde sibi illicite speraverat defensionem, inde merito reportans confusionem.

Habet autem hæc insula Monæ trecentas quadraginta tres villas, et pro tribus cantredis reputatur.[2]

Dicitur autem Cantredus, composito vocabulo tam Britannica quam Hibernica lingua, tanta terræ portio quanta centum villas continere solet. Adjacent autem insulæ Britanniæ tres lateraliter diversis ex partibus insulæ, quæ ejusdem fere quantitatis esse perhibentur. Ab austro Vecta, à zephyro Mona, à circio Mania. Sed duæ priores propinquius adjacent, modicis distinctæ maris interstitiis; tertia vero, quæ Mania dicitur, media inter Hibernicam Ultoniam et Scoticas Galovidias libramine jacens, remotius extenditur. Est autem Mona arida tellus et saxosa, deformis aspectu et inamœna, terræ de Pebidion (quæ adjacet Meneviæ) exteriori qualitate simillima, veruntamen interiori naturæ dote longe dissimilis.

Est etenim hæc insula præ cunctis Cambriæ finibus triticeo germine incomparabiliter fœcunda, adeo ut proverbialiter dici soleat lingua Britannica, Mon mam Cymbry, quod Latine sonat, Mona mater Cambriæ; quoniam aliis undique terris deficientibus, hæc sola gleba præpingui uberique frugum proventu Cambriam totam sustentare consuevit. Sed quoniam in hac insula digna memoratu multa reperies, quædam ex his excerpere, ct hic interserere non superfluum duxi.

Est igitur hic lapis humano fœmori fere conformis, cui insita virtus hoc habet, ut spacio quantolibet asportatus, proxima per se nocte revertatur, sicut ab accolis pluries est compertum. Unde et Hugo Comes Cestrensis, qui tempore Regis Henrici Primi tam insulam istam, quam terras adjacentes viriliter occupaverat,[3] audita hujus lapidis virtute, ipsum alii lapidi longe majori ferreis cathenis fortiter ligatum, probandi causa procul in mari projici fecit, qui tamen summo diluculo cum multorum admiratione pristino more suo in loco repertus est; cujus rei occasione publico Comitis edicto prohibitum cst, ne quis de cætero lapidem à loco movere præsumat. Contigit aliquando, rusticum quendam experiendi gratia ad fœmur

suum lapidem ligasse, sed putrefacto statim fœmore, ad locum pristinum lapis evasit.[4]

Est et in eadem insula collis saxosus, non magnus, et parum altus, cujus ex una parte si clamaveris, ex altera nequaquam audieris, et vocatur ab incolis per antiphrasin Rupis Audientium. In boreali quoque Majoris Britanniæ latere, quod ab Humbro flumine, quasi trans Humbrum ab Anglis nomen accepit, est collis haud dissimilis, cujus ex uno latere si cornu altisonum vel tubæ clangor experitur, opposito in latere non audietur. Est et in hac insula ecclesia Sancti Tefredauci confessoris, in qua Hugo Comes Slopesburiensis, cum semel una cum Comite Cestrensi hanc insulam vi ingrederetur, canes nocte quadam posuisset, insanos omnes mane recepit; et ipsemet infra mensem miserabiliter extinctus occubuit: accesserant enim ad insulæ portum ab Orchadum insulis piratæ in navibus longis, quorum adventum ubi Comes audivit, statim eis usque in ipsum mare, forti residens equo, animose nimis occurrit; et ecce navium princeps, cui nomen Magnus, primæ navis in prora cum arcu prostans sagittam direxit, et quanquam Comes à vertice capitis usque in talum pedis, præter oculos solum, ferro fideliter esset indutus, tamen dextro percussus in lumine perforato cerebro, in mare corruit moribundus; quem cum sic corruentem victor ab alto despiceret, superbe in victum et insolenter invectus, dixisse memoratur lingua Danica, Leit loupe, quod Latine sonat, sine salire; et ab hac in posterum hora potestas Anglorum in Mona cessavit. Nostris quoque temporibus Anglorum Rege Henrico Secundo in Venedotiam exercitum ducente, ubi et in arcto silvestri apud Coleshulle bellicam aleam expertus est, classe in Monam transmissa, cum prædictæ ecclesiæ aliisque sanctorum per insulam locis spoliando, prædando minime deferrent, divina sequuta vindicta, accolæ tandem in advenas, pauci in multos, inermes in armatos, subito irruentes, multis interemptis, multisque captis, et in vincula datis, victoria potiti sunt cruentissima. Quemadmodum enim Hibernica testatur Topographia, sicut natio Hibernica, nec

non et Cambrica præ aliis gentibus præcipites in iram et ad vindictam in vita proni reperiuntur, sic et in morte vitali, terrarum earundem sancti præ aliis animi vindicis esse videntur.[5]

Fuerant autem duo nobiles viri, et ejus qui scripsit hæc avunculi, cum aliis huc à rege transmissi, Henricus scilicet Regis Henrici Primi filius, et Secundi avunculus, ex nobili Nesta Resi filia in australi Cambria Demetiæ finibus oriundus, et Robertus Stephani filius Henrici, frater non germanus, sed uterinus; vir quidem, qui nostro primus tempore, aliis viam præbens, Hibernicam non longe post aggressus expugnationem, cujus quoque præconia Vaticinalis depromit Historia. Henricus igitur nimia fretus audacia, bonaque destitutus omnino sequela, cum magno suorum dolore inter primos lanceis confossus occubuit; Robertus vero de defensione diffidens, vix ad naves graviter vulneratus evasit.

Est et insula modica collateralis Monæ, et fere continua, quam solum eremitæ labore manuum viventes Deo servientes inhabitant; de quibus hoc mirandum, quod cum aliquibus forte motibus humanis discordes ad invicem inventi fuerint, statim mures minutissimi (quibus abundat insula) escas eorum omnes et potiones tam consumunt quam corrumpunt; cessante vero discordia, continuo cessat et incommodum. Nec mirandum, si Dei famuli discordes interdum inveniantur, quoniam in Rebeccæ utero Jacob et Esau bella gessere: Paulus et Barnabas contentiose ab invicem discessere: inter discipulos quoque Jesu facta est contentio, quis eorum videretur esse major; infirmitatis enim humanæ temptationes sunt hæ; veruntamen et virtus plerunque in infirmitate perficitur, et fidei constantia tribulationibus augmentatur. Dicitur autem insula prædicta Cambrice Ynys Lenach, id est, insula ecclesiastica, propter copiam sanctorum, quorum ibi corpora jacent, et hanc insulam fœminæ non intrant.

Præterea vidimus in Mona canem curtum, non natura quidem sed casu solo cauda mutilatum; cujus et progenies plurima tam à

genitore descendens quam genitura, similem jam naturalem pati defectum ostensa est. Mirum enimvero, quod solum parenti casus adjicit: hoc sibi prolem in posterum tanquam à natura conformare. Militem quoque in Anglia vidimus ex Devoniæ finibus oriundum, cui nomen Earthbaldus, de quo contigit, ut dum in matris alvo gestaretur, patre partum penitus abnegante, et matrem zelotypiæ causa ex sola suspicione fortiter accusante, puero in lucem prodeunte sola litem per se natura diremit; fissuram namque, quam ictu lanceæ militari exercitio per medium sub nare superius labrum genitor olim susceperat, laudabili naturæ miraculo eodem in loco genitura prætendit. Earthbaldi quoque filium vidimus, cui nomen Stephanus, eodem indicio patris casuali læsione tanquam in naturam jam conversa. Item, in Comite Alberico, Alberici Comitis de Veer filio, simile naturæ miraculum vidimus; cum enim pater ejusdem, matre jam prægnante, filia scilicet Henrici de Essexia, ob ignominiosum patris eventum jam ad divortium modis omnibus elaborasset, partu prodeunte, quem pater in oculo casuali læsione sustinuit, eadem in parte defectus in filio parentavit. Sed forsitan ex rei visæ memoria, quæ per aspectum contrahitur et reservatur, hujusmodi proprietas in prolem descendit; sicut de regina legitur, quæ quoniam Æthiopem in thalamo depictum inspicere consueverat, ex inopinato Æthiopem peperit, quam et Quintilianus per picturam excusavit. Similiter et de ovibus variis contigit, quas Labe nepoti suo Jacob de grege concessit, per virgarum præfixarum variationem multiplicatis. Nec tantum ex mulieris, verum etiam ex imaginaria viri memoria partus interdum informatur; compertum est enim de quodam, qui cum forte transeundo hominem inspiceret se ante et retro continua passione moventem, ad uxorem illico accedens, eamque cognoscens quoniam motionis illius memoria à mente præ admiratione excidere non potuit, eadem hora puerum genuit simili passione percussum.

ANNOTATIONES IN CAPUT VII.

[1] Duo in hoc nostro Giraldo, quæ illi fere semper in more posita sunt, animadvertere licet. Primum enim suum tantummodo propositum, neglectis aut non consideratis aliorum (de quibus scribit) negotiis, respicere et persequi solet. Deinde si quid adversi cuiquam acciderit circa hujus legationis tempus, id totum, vel quod is crucem recipere noluerit, vel quod superstitiosum divorum aut reliquiarum cultum neglexerit, evenisse confirmat; quæ in hoc capite manifesta sunt. Quod ad hujus loci intellectum attinet, quædam altius mihi repetenda sunt. Cum David filius Oeni Venedotiæ Princeps omnes suos fratres hereditariis suis portionibus ejecisset, et Malgonem atque Rothericum in vincula sub salvis custodiis conjecisset, hi duo deceptis custodibus, non ita multo post, evaserunt è carcere, et Rothericus ad Gothricum Manaviæ Regem aufugit, cujus auxilio fretus Monam insulam cepit; deinde, una cum Malgone fratre, castrum de Carn Madryn in Lhyn nepotibus suis Gruffino et Meredytho Conani filiis violenta manu eripuit; illi tamen juvenes, eo tempore quo Archiepiscopus in his partibus ageret, vires suas colligunt, et in Rothericum exercitum ducunt, quem non solum ad insulam deserendam, verum etiam ad salutem fuga quærendam, maxima suorum militum parte cæsa compellunt. Hæc cum ita se haberent, cuivis manifestum esse potest, Rothericum eo tempore nec Saracenico bello vacare, neque in tanto periculo militum suorum numerum imminuere ullo modo potuisse, nisi forte suas possessiones penitus derelinquere vellet. An vero idcirco in acie superatus sit, quod crucem non suscepissent ejus milites, illi qui victoriam tribuit dijudicandum relinquo.

[c] Tres Monæ cantredi fuerunt, id est, Aberfrau, in quo Lhion et Malhtraeth: Cemais in quo Talebolion et Twrcelyn: et Rossiria, ubi Dyndaethuy et Menai continentur.

[3] Extat pervetustus quidam liber de vita et rebus gestis Gruffini filii Conani Venedotarum Principis, Britannice scriptus, in quo memoriæ proditum est Marianum quendam cognomine Ruffum prædicti principis famulum, dominum suum Hugoni Cestrensi Comiti, sub specie colloquii cujusdam apud Ruc habendi prodidisse; in quem locum cum princeps paucis stipatus venisset, et nihil tale suspicaretur, statim captus est, et Cestriam missus, atque in carcerem conjectus; ubi cum multis annis Gruffinus in vinculis detineretur, prædictus comes in Monam insulam ingentem per mare conduxit exercitum, eamque regionem (ferro et flamma cuncta devastando) sibi subjugavit, in qua, ut eam facilius postea retineret, duo castra construxit, unum sc. in insula prædicta, et aliud in Arvonia, eaque præsidiariis militibus et rebus omnibus necessariis firmavit. Accidit autem longo intervallo post, ut Yalensis quidam nomine Cynuricus Hir, qui antea principi servierat, eumque probe noverat, necessariorum parandorum causa Cestriam proficisceretur, qui cum omnia, quorum causa venerat, parasset, jamque domum redire cogitaret, forte fortuna Gruffinum principem suum ferrea cathena constrictum conspicit, eumque adiit, quem sub cœnæ tempore (custodibus cibo intendentibus) cum in humeros suos extulisset, nemine prohibente secum asportavit. Princeps itaque e carcere liberatus, collectis viribus (ad quem omnes undique concurrunt) suas possessiones haud difficulter recuperavit. Postea tamen Comes ascito sibi in auxilium Hugone Salopiense, in Monam iterum exercitum ducit, sed frustra; nam cum Salopiensis Comes cæsus esset, Cestrensis ejus infortunii terrore perculsus, cum ignominia domum revertitur.

[4] Gulielmus Salisburius, vir in Cambriæ antiquitatibus egregie versatus, et de patria sua optime meritus, testatur hunc lapidem, de quo hic mentio fit, suo tempore, videlicet 1554, in muro cœmiterii ecclesiæ D. Aedani in Mona insula adhuc extare.

[5] De divorum Cambriæ et Hiberniæ iracundia et ultione. Locus gravis est, ex intimis mysticæ theologiæ penetralibus depromptus,

accuratissima Sorbonicorum doctorum disputatione dignus. Hujusmodi μῆνις καὶ δίκη divorum et reliquiarum frequens est in hoc libro. Hic divus Tefredaucus Hugonem Salopiensem Comitem, quoniam canes suos in ejus ecclesia nocte quadam posuisset, morte mulctavit, et ipsos canes insanos reddidit. Idem etiam Henricum Regis Henrici Primi filium nothum, eo quod suæ ecclesiæ non pepercisset, lanceis confossum perire fecit, ut in hoc capite apparet. Divus Avanus, quia dominator castri de Radnora, cum suis canibus venatoriis nocte quadam in ejus ecclesia incaute pernoctasset, canes rabie et dominum cœcitate percussit, supra lib. i. cap. 1. Baculus Cyrici strumosum quendam, qui denarium ob suam sanationem præstituto tempore non obtulit, in pristinum morbum cum confusione redegit, lib. i. cap. 1. Campana Bangu propter suam detentionem castellum de Raidergwy incendio consumpsit, eodem cap. supra pag. 7. Torquis divi Canauci à Reso Demetiæ principe captus et inclusus, eundem Resum à filiis suis capi et includi ultione divina fecit, supra cap. 2 hujus libri, pag. 111. Hæc et infinita hujusmodi deliramenta ex monachorum et sacerdotum relationibus scripsit Giraldus, eaque aliquando salsè deridet, aliquando lectorum judicio relinquit, et nonnunquam juxta sui temporis consuetudinem strenue defendit: fuit enim in summo tenebrarum regno, eo scilicet tempore quo humanæ traditiones et insulsæ ceremoniæ ab hypocritis in suum commodum et φιλοχρηματίαν introductæ, hominum mentes ita dementarant, ut non solum syncera verbi prædicatio sed etiam omnis vera religio exularet, et vix Christianismi nomen esset relictum. Nam superstitiosa ignorantia jam in ecclesiam, avaritia sacerdotum invecta, pura Christi dogmata ubique corrumpebat. Quis ergo tam amens est, qui non plane intelligat, has et hujusmodi fabulas plusquam aniles, esse diaboli instrumenta, quibus is veritatis lumen è mundo penitus tollere conatur? His itaque rejectis et amotis satius esset firmissimo sacrosancti verbi Dei fundamento niti, illumque juxta suæ voluntatis normam sancte et pie colere.

CAP. VIII.

DE CONWY FLUVIO NAVIGIO TRANSCURSO, ET DINAS EMRYS.

Reversis à Mona Banchor iterum, ostensum est nobis Principis Oeni sepulchrum, qui in presbyterio coram altari cum fratre minore Cadualadro in spelunca duplici jacebant; quanquam tamen Oenus ob publicum cum consobrina incestum à beato martyre Thoma excommunicatus obierit. Injuncto itaque loci illius episcopo ut visa opportunitate et occasione captata corpus ab ecclesia quantoties ejiceret:[1] per littora maritima, hinc rupibus præruptis, illinc fluctibus æquoreis arctati, versus Conwy flumen marinis undis non impermixtum, iter incunctanter arripuimus. Non procul ab ortu Conwy in capite montes Eryri, qui ex hac parte in boream extenditur, stat Dinas Emrys, id est, promontorium Ambrosii, ubi Merlinus prophetavit, sedente super ripam, Vortigerno. Erant enim Merlini duo, iste qui et Ambrosius dictus est, quia binomius fuerat, et sub Rege Vortigerno prophetavit, ab incubo genitus, et apud Caermardhin inventus, unde et ab ipso ibidem invento denominata est Caermerdhin, id est, urbs Merlini: alter vero de Albania oriundus, qui et Celidonius dictus est, à Celidonia sylva, in qua prophetavit, et Sylvester, quia cum inter acies bellicas constitutus, monstrum horribile nimis in aera suspiciendo prospiceret, dementire cœpit, et ad sylvam transfugiendo, sylvestrem usque ad obitum vitam perduxit. Hic autem Merlinus tempore Arthuri fuit, et longe plenius et apertius quam alter prophetasse perhibetur. Quid autem mortuo Oeno vel in extremis agente filii ejusdem pravo dominandi ambitu, fraterna non respicientes fœdera, nostris diebus inter se gesserint, hic prætereo.

Illud autem, quod nostris his diebus notabile censui, prætereundum non putavi: Oenus filius Gruffini Princeps Nordwalliæ inter multos quos genuit filios tantum unum legitimum suscepit, scilicet Jorverdum Trwyndwn (quod Cambrice simum sonat) agnominatum, qui et filium similiter legitimum suscepit Leolinum. Hic in transitu nostro patruis suis David et Rotherico, quos de consobrina sua, cui nomen Christiana, Oenus susceperat, quanquam puer tunc duodenis infestare cepit, et licet totam Venedotiam, præter terram Conani, inter se pro herili portione divisissent; licet et præter hoc, David Anglicano fulciretur auxilio, puta qui sororem Regis Henrici Secundi sibi matrimonio copulaverat, ex qua et filium quoque susceperat; tamen intra paucos postmodum annos de publico incæstu natos divitiis pariter et divitum auxilio fultos, legitimus iste terris omnino carens, et thesauris à Venedotia tota divina opitulante vindicta viriliter ejecit: nihil eisdem nisi ultroneo motu, bonorumque virorum consilio misericorditer et ex pietate relinquens; argumentum adulterinos et incæstuosos Domino displicere.

ANNOTATIONES IN CAPUT VIII.

[1] Gruffinus filius Conani Venedotiæ Princeps duxit sibi uxorem Ancharetam filiam Oeni filii Edvini Tegeniæ domini, quæ hunc Oenum principem illi peperit. Oenus primo matrimonio sibi copulavit Claudiam (alias Gladusiam) filiam Lomarchi filii Traherni, filii Caradoci, ex qua natus est Jorverdus Simus Leolini Magni pater; deinde vinculis jugalibus sibi sociavit hanc Christianam consobrinam suam, filiam nempe avunculi sui Grono, prædictæ Ancharetæ fratris.

[2] De humana commixtione cum spiritibus aut incubis aut succubis, variæ sunt atque discrepantes doctissimorum virorum sententiæ.

Omnes enim Platonici dæmonas cum mulieribus commisceri, et ex eis generare posse affirmant, quorum opinioni Michael Psellus in libro de Dæmonibus (quem Ficinus Latinitate donavit), Lactantius, et alii recentiores accedunt. Augustinus autem quod rumore accepisset duntaxat recenset, nec ipse certi quicquam statuit. E contra vero Ægyptii, Jamblicus, Cassianus, et è recentioribus, Steuchus, Scaliger, Wierus, et universa medicorum turba, solidis rationibus in medium productis, id ipsum fieri posse constanter pernegant, asserentes dæmonas spiritus esse corpore nudatos, et ideo non posse amore fœminarum capi. Sublata causa tollitur effectus: ubi non est corpus, non sunt actus corporei naturales: ubi non sunt membra genitalia, non est desiderium coeundi: ubi non est cibus et potus, non est sperma: ubi non requiritur successio aut propagatio, non adhibuit natura generandi facultatem. Sicut spiritus nudi sitire aut esurire non possunt, sic veneris libidine nequeunt inflammari. Mortale et immortale, corporeum et incorporeum, æternum et caducum, non commiscentur, neque in propagando naturæ cursu conveniunt. Hæc spiritualis generandi ratio ab hominibus conficta (ut scribit Wierus) et excogitata est, vel per adulationem, ad principum ac potentum familias illustrandas et extollendas, vel per pudorem ad obscuritatem generis aut natalium turpitudinem tegendam, vel per timorem ad stupra mulierum aut adulteria celanda, vel per artem ad ociosorum sacerdotum aut juvenum libidinem explendam: quod prudentiores semper verum esse perspiciebant. Memoriæ proditum est, Jovem aliquando Danaæ misisse in gremium imbrem aureum; et Cherea consimilem jam olim lusisse se lusum ait, deum sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri. At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Harum technarum infinita apud historicos reperiuntur exempla. Nota est illa elegantissima narratio apud Josephum Antiquitat. Jud. lib. xviii. cap. 4, de turpi lenocinio sacerdotum Isidis, in prodenda castitate

Paulinæ fœminæ probatissimæ Decio Mundo, qui cum illa sub persona Anubidis in ipso templo rem habuit; est et alia huic non dissimilis historia apud Eusebium Pamphilum in Ecclesiastica Historia, de tyranno Saturni sacerdote, qui Dei sui nomine incubum agebat. Hinc existimare possumus ac dignoscere quomodo matrona Romana fuerit à Marte compressa, et alii hujusmodi quas Valerius Maximus et alii historici referunt. Fuit hæc fraus semper usitata sacrificis, ut hac de causa, simulachra Deorum, ipsosque Deos et comedere, et bibere, et coire fingerent. Atque hic sane fructus est votivi et coacti cœlibatus. Gulielmus de Sancto Amore in libro de periculis novissimorum temporum, negat alios esse incubos dæmonas præter fratres mendicantes, qui, inquit, prius in simplicitate cordis vivebant, post ingressum sectæ eorum, sunt astuti hypocritæ. Hi incubi dæmones (inquit author operis de bono universali, lib. ii. cap. 56) ita religiosas virgines illis diebus opprimebant ut nulla eos crucis signatio, nec aqua benedicta, nec ipsum corporis Christi sacramentum abigere valeret. Qua de re Paulus Æmilius de gestis Gallorum sic scribit: Anno Domini 1260, mendicantium ordinum fratres suum genus vitæ miris laudibus ac religionis sanctitate, schismatice ac seditiose commendabant; Gulielmus à Fano Amoris, Sorbonicus doctor, aliique doctrina clari mendicitatem illam vulgo, ac votivam sine causa paupertatem improbabant, contendentes speciem et prætextum religionis dari inerti ac desidiosæ vitæ et mendicationi; liber ejus, qui adhuc extat in bibliotheca Sorbonnæ, damnatus est. Hæc Æmilius. Hujusmodi in omni ætate extiterunt miracula ab improbis et sceleratis hominibus conficta: unde satis manifestum est neque Merlinum nec quemquam alium mortalem hominem ab incubo genitum esse, non obstante eo quod ex Apuleio fabulatur Maugantius (ut est apud Galfridum) de mediante incubi natura inter humanam et angelicam. Mendacissime itaque Simon Magus ex virgine se natum jactabat, ut Deum mentiretur: nec minus falso Servius Tullus laris familiaris filius creditus est: nam et hi mortales erant, et patres eorum viri et

matres fœminæ fuerunt. Merlinus ipse natus est in Cambria, non ex incubo dæmone (ut inquit Baleus) sed ex furtiva venere cujusdam Romani consulis cum Virgine Vestali, in Maridunensi monialium cœnobio, ut in Breviario apud Gildam habetur; et quia in Britannorum gente rigida lex erat, si qua puella in patris domo ex scortatione esset gravida, ut de montis vertice mox præcipitaretur, et ut ejus corruptor capite plecteretur: miris illusionibus et mendaciis hoc facinus celatum est, ne veniret in lucem: aliunde ergo per impostores asseritur ejus conceptio, quam ex communi hominum officio et usu, ut facile deciperentur creduli: sic ex Apuleio Maugantius medicus interroganti Vortigerno Regi incubos adduxit, ut prodigium fuisse putaret. Narratur ab historicis Merlinum istum carminibus magicis dæmonas quosdam in colloquium vocasse eduxisseque fertur præstigiis miris ex stagno hoc apud Dynas Embrys dormientes dracones, qui impedimento erant Vortigerno ne turrim ædificaret: et ex Hibernia, per gigantum choream, prodigiosam in agro Severiano lapidum structuram. Dicitur etiam quod suis incantationibus Utherium Regem in Gorloidis Cornubiæ Ducis speciem transformaverit, ut Igernæ uxoris potiretur amplexu, et quod ex eo scelerato concubitu Arthurum et Annam genuerit. Sed de his prudentes judicent. De Maridivi urbis nomine vide ea quæ annotavimus supra lib. i. cap. 10. Extant apud Galfridum, Historiæ Britannicæ libro quarto, Merlini vaticinia, obscura quidem illa, et nihil certi continentia, quæ vel antequam eveniant, sperare, vel cum evenerint promissa, vera audeas affirmare: præterea ita composita sunt, ut eadem ad multa diversarum rerum eventa sensibus ambiguis et multiplicibus circumflectere et accommodare quis possit; et quanquam multi his et hujusmodi imposturis delusi et decepti perierint, tamen hominum credulorum tanta est insania, ut quæ non intelligant, quovis sacramento, vera esse contendere non dubitent: nec in manifesto interim deprehensi mendacio, se coargui patiantur. Ea est humani ingenii vanitas et stultitia cum à vera divini verbi regula deflexerit.

CAP. IX.

DE MONTANIS ERYRI.

MONTANA vero quæ à Cambris Eryri, ab Anglis vero Snowdon, id est, nivium montes, dicuntur, quæ à terra filiorum Conani paulatim incrementa suscipiunt, et prope Deganwy in boream se protendunt, contra Monam vero turribus aereis nimis enormiter usque ad nubes excrescunt, sub silentio non sunt prætereunda. Tantæ si quidem et tam immensæ quantitatis esse perhibentur, ut antiquo proverbio dici soleat: Sicut Monam insulam hominibus in annona, sic Eryri in pascuis, coactis in unum armentis omnibus toti Walliæ sufficere posse; unde et his pascuis illud Virgilianum adaptari potest:

> Et quantum longis carpunt armenta diebus:
> Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.

In summis autem montium istorum verticibus duo lacus reperiuntur, sua non indigni admiratione. Alter enim insulam habet erraticam, vi ventorum impellentium ad oppositas plerunque lacus partes errabundam. Hìc armenta pascentia nonnunquam pastores ad longinquas subito partes translata mirantur. Fieri namque potuit ut pars aliqua ripæ olim avulsa, salicum radicibus aliorumque fruticum naturaliter insertorum vinculis astricta et colligata, paulatim postea per alluvionem incrementa susceperit; et quoniam violenta ventorum rapacitate, quæ loco tam arduo fere continua reperitur, ad varias creberrime ripas impellitur, firmas solo tenus et altas figere radices non permittitur. Alter vero miro et inaudito miraculo pollet: quia cum trium generum piscibus abundet, anguillis, trutis, et

perchiis; omnes in eo pisces monoculi reperiuntur, oculum dextrum habentes et sinistro carentes; si rei tam novæ tamque stupendæ rationem scrupulosus lector efflagitet, assignare non præsumo. Notandum et quod in Albania quoque duobus in locis, uno ad mare orientale et altero ad occidentale, pisces marini qui Muluelli dicuntur monoculi reperiuntur, dextrum oculum habentes et sinistro carentes. In eisdem montanis de Eryri aquila fabulosa frequentat, quæ qualibet quinta feria lapidi cuidam insidens fatali, ut interemptorum cadavere famem satiet, bellum eodem die fertur expectare; lapidemque prædictum cui consuevit insidere, jam prope rostrum purgando pariter et exacuendo perforasse.

ANNOTATIONES IN CAPUT IX.

In septentrionalium parte montium Eryri duæ rupes excelsæ, quas Giraldus hoc in loco turres aereas appellat, quasi præruptæ, mari ita proeminent, ut viatoribus per sabulum iter facientibus, lapidibus ita periculosæ pendentibus, ac si jam jam in eorum capita decidere videantur, formidabiles appareant, quæ lingua Cambrica Penmaen Mawr et Penmaen Bachan vocantur. Ex omnibus his montibus, duo reliquos altitudine et albescentium nivium splendore superant, in quorum cujusque vertice perennis aquarum scaturigo reperitur, videlicet Ewythua et Carneth Leolin. Porro in hujus montis pede est quidam lacus qui ranarum lacus dicitur, in quo paulo ante hæc nostra tempora, circa annum Domini 1542, miraculosum quiddam accidisse testantur accolæ etiamnum in vivis agentes, duos nimirum lapides stupendæ magnitudinis qui in lacu erant, eadem nocte ex eodem emersisse, et contra naturæ cursum nitentes, versus montis cacumen latos quantum spatium arcus uno jactu sagittam emittere

solet à lacu (uti hodie remanent) constitisse; hocque absque ulla humana ope factum est; nam horum lapidum alter domum ingentem magnitudine æquat, quem mille juga boum non moverent, alter vero paulo minor est. Cujus rei certitudinis explorandæ causa, illustrissimus Princeps Henricus Octavus paulo ante mortem quosdam illuc misisse fertur, qui eum de re tota certiorem facerent.

CAP. X.

DE TRANSITU PER DEGANWY ET RUTHLAN, SEDEM QUOQUE LANELVENSEM, DE VIVO SABULO, ET COLESHULLE.

Transnavigato deinde Conwy fluvio, vel potius maris brachio, sub Deganwy,[1] monasterio Cisterciensis ordinis super Conwy ab occidua fluvii parte à dextra relicto, usque Ruthlan nobile similiter castrum primævi Oeni filii de consobrina David super Cloyd fluvium, via duce pervenimus, ubi et ab ipso ad instantiam ejus magnam eadem nocte decenter exhibiti fuimus.

Est fons non procul à Ruthlan in provincia de Tegengel, quem non bis tantum die naturali more marino: vicissim et crebrò diebus et noctibus nunc undis deficere, nunc exuberare certum est. Idem refert Trogus Pompeius, quod Garamantum est oppidum in quo fons ebullit, qui vicissim nocte dieque friget et fervet. Multis itaque mane ad Christi obsequium allectis, ad pauperculam sedis Lanelvensis ecclesiam parum inde distantem transivimus, ubi et missa ab Archiepiscopo celebrata, iter incontinenti aggressi sumus, et per divitem venam fructuosumque argenti scrutinium, ubi pecuniam scrutando itum est in viscera terræ, transeuntes in cellula de Basinwerk pernoctavimus.[4] In crastino vero longum vivumque per loca sabulum non absque formidine permeantes, silvestria de Coleshulle, id est, carbonis collem, à dextra reliquimus, ubi Anglorum Rex Henricus Secundus nostris diebus cum primo Walliam hostiliter intravit, juvenili impetu et inconsulto calore, arctum illud silvestre penetrare præsumens, cum detrimento suorum et damno non modico ambiguam bellorum aleam expertus est. Ter enim prædictus rex in manu

forti Walliam intravit; primo Nordwalliam prænominato in loco; secundo Sudwalliam per maritima de Guladmorgan et Goer viam versus Caermardhin et usque Pencadair intrando, et per Elennith et Melenith revertendo; tertio vero Powisiam apud Oswaldestree. His autem expeditionibus cunctis rex ideo minime profecit, quoniam probis patriæ viris proceribusque provinciæ gnaris et peritis fidem non habuit; solum in his viros à Marchia remotos, mores gentis et modos prorsus ignorantes, consiliarios habens principales. In qualibet nimirum expeditione sicut artifici credendum in sua facultate, sic horum præcipue standum est arbitrio, qui circa similia patriæ negotia conversati diutius et usitati, mores gentis et modos agnoscunt. Quorumque magnopere refert ut gens inimica quacum ex crebris belli diutini conflictibus hostilitatem plurimam et odium implacabile contraxerunt; eorundem opera vel debilitari possit vel deleri, sicut in Vaticinali Historia declaravimus.

In hac eadem sylva de Coleshulle interfecto juvene quodam Cambrensi per exercitum prædicti regis transeunte, leporarius ejusdem inventus est per octo fere dies absque cibo domini cadaver non deseruisse, sed illud à canibus, lupis, et avibus prorsus indemne fideliter et admiranda in bruto dilectione conservasse. Quis itaque patri filius; quisne Euryalo Nisus; quis Tydeo Polynices; quis Pyladi Orestes, hunc dilectionis affectum exhiberet? Ob hujus igitur eventus gratiam leporariique favorem, diutina fere jam fame confecti, ab Anglorum populo Cambriæ gentibus inimicissimo corpus jam fœtidum debito humanitatis officio est tumulatum.

ANNOTATIONES IN CAPUT X.

[1] DEGANWY castrum erat munitissimum in promontorio Ganganorum juxta Conovium à Malgone cognomento Gwyneth Britannorum

Rege constructum, quod regale palatium fuit ultimorum Britanniæ regum, scilicet Malgonis, Caretici, Caduani, Caduolloni, et Cadualadri. Hoc castrum unà cum oppido adjacenti circa annum 810 igne cœlesti conflagrasse tradunt Annales Cambriæ; quod postea Hugo Comes Cestriæ, qui illam regionem sibi subjugavit, refecit: tandem vero ab Eduardo Primo Angliæ Rege Conovium transfertur.

[2] Ruthlanæ castrum primo conditum est a Leolino Sisilii filio Cambriæ Principe, fuitque non solum ipsius Leolini verumetiam Gruffini filii sui præcipuum palatium. Cum vero Haroldus Goduini Comitis filius ab Eduardo Angliæ Rege, contra dictum Gruffinum Cambriæ Principem, regias possessiones devastantem, cum exercitu missus esset, hoc castrum igne consumpsit anno 1063. Postea tamen ab Henrico Secundo restauratum est, et huic Davidi qui ejus sororem connubio sibi junxerat, ut se à fratrum suorum violentia melius tueretur, habitationis causa concessum.

[3] De hoc fonte sic scribit H. Lhoyd in suo Britannicæ Descriptionis Fragmento: In Tegenia est miræ naturæ fons, qui cum à mari sex millibus passuum distat in parochia Cilcensi, bis in die fluit et refluit. Hoc tamen nuper observavi, luna ab horizonte orientali ad meridianum ascendente (quo tempore omnia fluunt maria), fontis aquam diminui refluviumque pati: hæc ille. Vide supra lib. i. cap. 10, annot. 4.

[4] Ad dimidium milliare à Basinwerk est fons hodie celebris à superstitioso (ut scribit idem H. Lhoyd) Wenefredæ virginis cultu nomen habens, cujus aqua pura est, salubris, et grati saporis, qui ingenti murorum structura arctatus subito ebulliens, magnum ex se emittit flumen, muscumque odoriferum sua frigiditate gignit. Hoc fonte imperiti et divinæ veritatis ignari, à monachis ejus loci (ad suum privatum quæstum omnia referentibus) primo seducti, non solum ad idololatricum et superstitiosum cultum stabiliendum, verumetiam ad omnem vitæ turpitudinem, sub fucata religionis specie fœde abutuntur, affirmantes illum fontem ad cædem prædictæ virginis ex

terra primo emanasse, et ob meritorum ejus sanctitatem, omnes languores tam in hominibus quam in pecoribus (ut legendæ verba habent) sanare; hanc opinionem peperit monachorum avaritia hoc modo: Henricus Secundus Angliæ Rex cum ex Cambria, prima sua expeditione, reverteretur, castellum de Basinwerk præsidiis firmavit, et cellam prope idem castellum pro Templariis construxit, eamque possessionibus sufficienter locupletavit: postquam ille Templariorum ordo communi generalis concilii decreto deletus esset, cella illa in cœnobium monachorum conversa est, anno 1312, atque illarum possessionum quædam ab Eduardo Secundo eisdem monachis concessæ sunt; hi monachi primam huic fonti miraculosæ sanctitatis opinionem sui quæstus causa procurarunt, nam ante hujus cœnobii erectionem, nullus unquam scriptor hujus fabulosi commenti mentionem fecit; novam esse igitur hanc fabulam non ante ita multos annos introductam, ex hoc authore facile evincitur: hic author isto itinere in prædicta cella apud Basinwerk pernoctavit, fons etiam eodem in loco quo nunc est eo tempore extitit; nemo (sat scio) illud negabit: de eo tamen fonte nullum omnino verbum habet; quod si ad cædem Wenefredæ virginis (quæ longo intervallo ante patrata erat) fons primo miraculose è terra erupisset, habitusque fuisset ab incolis ea virtute pollere qua asseritur, num huic authori in comitatu Archiepiscopi existenti, illud inauditum esse potuit? An cuiquam credibile videri potest, illum, qui ubique ita diligens atque curiosus erat, in miraculosis fontium, lapidum, baculorum, campanarum, et torquium virtutibus perscrutandis et divulgandis, tam insigne miraculum, tamque divinum et excellens sacræ virginis in mortales collatum beneficium, tam ingrate et negligenter velle præterire? An non potius putandum est (quod res erat) superstitiosam hujus fontis sanctitatem, adhuc mundo non innotuisse? Verum postea crescente, una cum oblationum quæstu, miraculosarum sanationum fama, illius cœnobii monachi quæstus sui causa à Romano pontifice circa annum Domini 1420 vænales indulgentias eo peregrinantibus procurarunt, et alias

iterum indulgentias tempore Henrici Septimi Regis Angliæ, quando illa ædificia quæ circa fontem hodie reperiuntur constructa sunt; et nostris diebus tempore Mariæ Reginæ, Thomas Gouldwel Episcopus Asaphensis has quæstuosas technas et sordes renovavit, easque amplioribus indulgentiis à Romano pontifice perquisitis confirmavit.

CAP. XI.

DE FLUVIO DEVA TRANSCURSO, ET CESTRIA.

Transvadato tandem Deva fluvio sub Cestria (quem Cambri Douerdwy dicunt) feria tertia ante Pascha, die videlicet absolutionis, Cestriam venimus. Sicut enim Vaga ab austro sub castro Strigulensi, sic Deva à borea sub Cestrensi, Walliam ab Anglia secernit et separat. Item, ut asserunt accolæ, aqua ista singulis mensibus vada permutat, ut utri finium Angliæ scilicet an Cambriæ alveo relicto magis incubuerit, gentem illam eo in anno succumbere et alteram prævalere certissimum prognosticum habent. Fluvius iste de lacu quodam cui nomen Penmelesmere originem ducit, et cum salmonibus fluvius abundet, nunquam tamen in lacu pisces hujusmodi reperiuntur. Hoc etiam de eodem fluvio notabile reperies, quod pluviis nunquam, frequenter autem et fere semper ventis exuberat.

Imperatorem quoque Romanum Henricum se jactat hæc urbs habere sepultum; qui quoniam suis diebus tam patrem carnalem quam etiam spiritualem, summum pontificem scilicet Paschalem, incarceraverat, demum pœnitentia ductus et ultroneus exul effectus sanctam in eremo finibus istis vitam, ut fertur, consummavit. Similiter et Haroldum Regem se habere testantur, qui ultimus de gente Saxonica Rex in Anglia, publico apud Hastings bello cum Normannis congrediens, pœnas succumbendo perjurii luit, multisque, ut aiunt, confossus vulneribus, oculoque sinistro sagitta perdito, ad partes istas victus evasit, ubi sancta conversatione cujusdam urbis ecclesiæ jugis et assiduus contemplator adhærens, vitamque tanquam anachoriticam ducens, viæ cursum, ut creditur, feliciter consummavit;

ex utriusque, ut fertur, ultimi articuli confessione, veritas antea non comperta, demum prodiit publicata.

Vidimus, quod in oculis nostris novum apparuit, caseos cervinos; Comitissa namque et Comitis mater cervas habens domesticas, ex earundem lacte coagulato tres caseos modicos expressos et fiscella formatos Archiepiscopo præsentavit.

Eisdem quoque finibus his nostris diebus visa est vacca cervina, ad vaccam enim cervus accesserat, unde et vacca cervina processit; parte enim anteriore tota usque ad inguina bos erat, coxas subinde cum cauda et tibias et pedes expressè cum pilositate et colore cervinos habens; sed quia plus pecoris quam feræ præferebat inter armenta resedit. Contigit eisdem in partibus nostris quoque temporibus canem ex simia pregnantem, catulos tandem produxisse parte anteriore tota simium præferentes, in canem vero versus posteriora descendentes, quos cum aulæ militaris custos rusticus intueretur, prodigiorum novitate stupescens, et tam deformes biformis naturæ formas abhorrens, baculo quem manu gestabat, non absque damno proprio, et domini, re comperta, indignatione quamplurima, cunctos statim interemit.

Visa est et in urbe Cestrensi nostris diebus mulier manca manibus carens à nativitate, cui tamen contra defectum istum tale natura remedium dederat, ut pedes tam flexibiles tam delicatè articulatos haberet, quod articulorum proceritate pariter et flexibilitate, non minus subtiliter quam aliæ mulieres acu suere consueverit; et quicquid filo ac forfice manibus fieri solet, citra defectum omnem, cum intuentium admiratione, pedibus ista complet.

ANNOTATIONES IN CAPUT XI.

Antiquum hujus fluvii nomen (unde etiam et urbis) Devam fuisse, ex Ptolomæo, Antonino, et aliis perspicuum est. Hinc Dourdeua vel Dofrdeu (nam ubique u consonantis vim obtinet), id est, aqua Devæ, Dour enim Britannice aquam designat; unde Devanus æstus: Deva civitas, et Devania provincia, et hujusmodi, quæ apud antiquissimos authores reperiuntur, defluxerunt. In his et hujusmodi antiquis fluminum, urbium, et locorum nominibus, fœdè erratur à multis scriptoribus Britannicæ antiquitatis et sermonis ignaris, qui dum sese mirum in modum in variis etymologiarum formis confingendis misere torquent, sæpenumero *δὶς διὰπασῶν* à scopo absunt. De Lacu Tegydeo sic scribit Lelandus in Genethliaco:

Hispida qua tellus Mervinia respicit eurum,
Est lacus antiquo Penlhinum nomine dictus:
Hic lacus illimeis in valle Tegeius alta
Late expandit aquas, et vastum conficit orbem,
Excipiens gremio latices, qui fonte perenni
Vicinis recidunt de montibus, atque sonoris
Illecebris captas demulcent suaviter aures:
Illud habet certe lacus admirabile dictu,
Quantumvis magna pluvia non æstuat: atqui
Aere turbato, si ventus murmura tollat,
Excrescit subito rapidis violentior undis,
Et tumido superat contemptas flumine ripas.
Deva lacu celebris fluvius prorumpit ab isto.

Hæc ille.

Quod hic fluvius ventis tantum extra ripas diffluere dicitur, veritas

sic habet, illum scilicet excrescere pluviis et tempestatibus non aliter quam cætera flumina; non ita tamen abundanter ripas egreditur, atque facit africo sufflante; nam ventus ille inter duos montes per longitudinem lacus perflans, aquam vehementer commovet, suoque impetu in confluentem amnem ea parte qua perfluit ex lacu ejicit et impellit, atque sic maxima fluminis inundatio efficitur. Lacus vero ipse nunquam intumescit ventis, sed potius evacuatur et ventorum violentia quasi exhauritur, nisi forte naturalis aquæ cursus impediatur contrario vento, qui aquam retrocedere suo sufflatu cogat, ita ut lacus ea ratione excrescat, quod raro fit. Quod autem de piscibus hujus lacus scribit H. Lhoyd verissimum esse ab accolis constantissime asseritur: Hoc, inquit, notatu dignum, piscium quoddam genus illi stagno singulare nunquam in fluvio inveniri, nec salmones in amne frequentes, unquam lacum ingrediuntur.

Ubi dicitur Devam fluvium Cambriæ et Loegriæ metam esse, intelligendum est id verum esse, ab Hilcuria usque ad castrum Leonum: inde autem versus meridiem terminus est linea ducta ab eodem castro, ad Pengwern Powys, id est, Salopiam, et postea ad castrum Isabelis ad Sabrinæ ripam positum; ita ut cantredi de Trefred et Maelora ad Cambriam pertineant, sicuti manifestum est in articulis pacificationis factæ apud Montem Gomericum inter Henricum Tertium Angliæ Regem, et Leolinum filium Gruffini, Cambriæ ex Britannico stemmate principem ultimum.

CAP. XII.

DE TRANSITU PER ALBUM MONASTERIUM ET OSWALDESTREE; POWISIAM QUOQUE SLOPESBURIAM.

Hic itaque Paschali festo debita solemnitate completo, multis quoque ad Archiepiscopi monita cruce signatis, versus Album monasterium iter aggressi sumus, et inde versus Oswaldestree; ubi tanquam in ipsa regionis Powisiensis ora occurrerunt nobis Powisiæ Principes, Gruffinus Madoci filius et Elissa, et alii cum populo terræ suæ;[1] ubi nonnullis ad crucem allectis; ab episcopo namque loci illius Reinerio multitudo fuerat ante signata.[2] A Gruffino terræ illius Principe consobrina sua Anchareta, sc. Oeni Principis filia, quam publico gentis illius vitio diu pro uxore tenuerat, coram Archipræsule palam abjurata.[3] Apud Oswaldestree, id est, Oswaldi arborem, pernoctavimus, à Gulielmo Alani filio, juvene nobili ac liberali, ad importunam ejusdem instantiam Anglicanæ sumptuositatis more splendide nimis et laute procurati. Acciderat autem his in partibus paulo ante, Reinerio Episcopo crucem prædicante, juvenem quendam pervalidum, cum à sociis cruce signatis ad ejusdem signi susceptionem cum instantia magna verbis suasoriis invitaretur, demum respondisse: Priusquam, inquit, domini mei mortem hac lancea quam manu gesto vindicavero monitis non acquiescam; Oenum significans Madoci filium, virum egregium ab Oeno de Cevelioc consobrino suo dolose nuper et scelerose peremptum; et inter loquendum, cum ira vindice defervens, lanceam fortiter excuteret, ipsa forte ex utraque manus excutientis parte confracta statim in terram decidit, tantum trunculo quem manu claudebat ei remanente: quo prognostico perterritus

plurimum et consternatus, tanquam certissimo crucis suscipiendæ signo, provocatus crucem illico sponte suscepit.

In hac tertia Walliæ portione, quæ Powisia dicitur, sunt equitia peroptima, et equi emissarii laudatissimi, de Hispaniensium equorum generositate, quos olim Comes Slopesburiæ Robertus de Belesmo in fines istos adduci curaverat, originaliter propagati: unde et qui hinc exeunt equi, cum nobili formæ pictura ipsa protrahente natura, tam membrosa sua majestate, quam incomparabili velocitate valde commemorabiles reperiuntur.

Hic Anglorum Rex Henricus Secundus cum expeditione quanquam inutili, sumptuosa tamen et nobili nostris temporibus Powisiam intravit; ubi demembratis solum obsidibus quos antea susceperat, subita et inopinata pluvialium aquarum inundatione frustra reverti compulsus est;[4] die namque præcedente Anglicanæ exercitus satrapæ Wallensium ecclesias aliquot cum villis et cœmiteriis igne apposito combusserunt; unde et Oeni Magni filii cum expedita exercitus juventute patrem aliosque principes suos super hoc acriter commoverunt, dicentes et asserentes se Anglorum ecclesiis de cætero nullatenus deferre velle: cumque totus propemodum in hoc communiter assentiret exercitus, solus Oenus, ut erat vir in gente sua moderantiæ magnæ et sapientiæ, sedato tumultu, demum in hujusmodi verba prorupit: Mea quidem in hanc sententiam non concordat opinio, gratulari namque potius ob hoc et gaudere debemus, quia cum Anglis nisi divino fulciamur auxilio, longe impares simus, ipsi in hoc facto deos quoque (qui et se et nos potenter vindicare prævalent) inimicos constituere: proinde et devote Domino compromittamus nos ecclesiis locisque sacris majorem solito reverentiam exhibituros et honorem. Quo facto præscriptam nocte sequente divinitus emissam sensit Anglorum exercitus ultionem. Progressi sumus inde versus Slopesburiam à Sabrinæ fluvio complexam, ubi et diebus aliquot recreandi respirandique gratia perendinavimus; et tam ad Archiepiscopi monita quam ad gratiosos Archidiaconi Menevensis sermones ad

crucis obsequia multos alleximus. Oenum quoque de Cevelioc, quia solus inter Walliæ Principes Archipræsuli cum populo suo non occurrerat, excommunicavimus; Oenus iste præ aliis Cambriæ principibus et linguæ dicacis extiterat, et in terræ suæ moderamine ingenii perspicacis. Hic autem cum Anglorum Rege Henrico Secundo, quoniam primatibus gentis suæ viris semper fere contrarius esse, Regique fidelius adhærere videbatur, familiaritatem contraxerat plurimam, unde et aliquando cum Rege apud Slopesburiam in mensa sedens, cum ei de panibus propriis unum in honoris (ut assolet) et amoris signum Rex misisset, ipse statim in regio conspectu tanquam eleemosynarium panem in frustra concidit, et eleemosynarii more primo remotius exposita, deinde singulatim retracta comedit universa; cujus rei rationem cum Rex requisisset; respondens Oenus sub risus modici simulatione: Domino, inquit, meo morem in hoc gero: subtiliter et acute in Regem, qui ecclesiasticos honores vacantes diutius in manu tenere consueverat, ambitus, et avaritiæ notam intorquens.

Notandum hic quoque quod viri tantum nostris diebus in tribus Walliæ partibus, justitia, prudentia, principalique modestia regiminis emicuere: Oenus Gruffini filius in Venedotia; Meredyth nepos ejusdem filius Gruffini, quem fata festina surripuere, in Sudwallia: Oenus iste de Cevelioc in Powisia. Duo vero largitatis eximiæ prærogativa enituere; Cadwaladarus filius Gruffini in Venedotia, et Gruffinus de Maelor filius Madoci in Powisia; Resus autem Gruffini filius in Sudwallia, libertate et animositate laudem meruit; in Venedotia vero David Oeni filius, et in Sudwalliæ finibus de Morgannoc, Hoelus filius Jorverth de urbe legionum æqua se inter Cambros et Anglos trutina librantes fidem integram et opinionem servaverunt.

ANNOTATIONES IN CAPUT XII.

[1] Ingreditur hic Archiepiscopus in tertiam Cambriæ partem, peragratis aliis duabus, Demetia videlicet et Venedotia. Hæc pars post adventum Normannorum in hanc insulam, unum aliquem supremum sui principem non agnovit; nam post mortem Blethini filii Convini, qui ultimus totius Powisiæ possessor extitit, juxta illud Bardi,

Blethyn ap Convyn bob cwys
y hûn bioedh hên Bowys:

Id est, Powisiam veterem solus Blethinus habebat. Altera hujus provinciæ pars ad septentrionalem Sabrinæ ripam sita, inter quinque ejus filios distributa est; unde infinitæ contentiones, proditiones perfidæ, et plurima homicidia consequuta sunt, donec tandem Blethini filiis et nepotibus maxima ex parte interfectis et deletis, ea pars iterum, præter eas portiones quas Normanni (qui alteram partem ad meridiem protensam fere totam diripuerant) vi et armis possidebant, ad Meredythum filium Blethini, qui reliquis fratribus supervixit, devoluta est, et post illius mortem inter duos ejus filios, Madocum scilicet, hujus Gruffini de Maelora patrem, et Gruffinum patrem Oeni de Cevelioc (de quibus mentio fit in hoc capite), dispartita est, et postea inter eorum filios et nepotes. Hi non principes, sed domini in sua quisque regione dicti sunt, et regum Angliæ adversus Cambriæ principes fere semper sequuti sunt partes.

[2] Iste Reinerus Episcopus Asaphensis in hac regione domicilium habuit, ubi fere semper morabatur: hic decimas omnes granorum et fœni ad ecclesiam de Albo monasterio Sancti Oswaldi pertinentes, cum capella sua de Sancto Martino, et aliis capellis suis, quibus duodecim clerici (quos vocant seculares) qui fere semper suas legitimas

uxores habebant, alebantur, monachis de Salopia concessit, et prædictos clericos papali auctoritate expulit.

[3] Hic Gruffinus fuit filius Susannæ, sororis Oeni patris hujus Ancharetæ.

[4] De hac expeditione Henrici Secundi contra Cambros, vide quæ supra annotavimus in cap. 10, lib. i. annot. 3.

CAP. XIII.

DE TRANSITU PER WENLOCH, BRUMFELD, CASTELLUM DE LUDLOW, ET LEONIS MONASTERIUM, USQUE HEREFORD.

Profecti sumus inde versus Wenloch, per arctam viam et præruptam, quam malam plateam vocant; hic autem contigit nostris diebus, Judæo quodam cum archidiacono loci ejusdem, cui cognomen Peccatum, et decano, cui nomen Diabolus, versus Slopesburiam iter agente, cum archidiacono forte referente audiret, archidiaconatum suum ab hoc loco qui mala platea dicitur, incipere, ut usque ad malum passum versus Cestriam durare; considerans et intelligens quoque tam archidiaconi cognomen quam et decani agnomen, lepide satis et facete subjecit: Mirum, inquit, si ab hac unquam patria me mea sors reducat incolumen, cujus quippe Peccatum archidiaconus, Diabolus decanus, archidiaconatus vero mala platea introitus, et malus passus exitus.

Transivimus autem à Wenloch per cellulam de Brumfeld, per nobile castrum de Ludlow,[2] per Leonis monasterium usque Herefordiam, Melenyth et Elvel à dextra relictis; a puncto quo per Walliam laboriosum hoc iter arripuimus, tanquam in circino circumeundo, ad punctum denuo jam reversi.

In hujus itaque legationis longo laudabilique labore, circiter tria virorum millia crucis signaculo sunt insignita, lanceis et sagittis expeditissima martiisque negotiis exercitatissima; solam cum hostibus fidei congrediendi moram communiter accusantia: fructuose quidem Christi obsequiis, ac feliciter obligata, si salutiferæ crucis expeditio

tam expedite fuisset tantaque maturatione profecta, quanta fuerat tam diligentia quam devotione collecta. Porro occulto Dei judicio sed nunquam injusto, Imperatori Romano viæ, regibusque nostris discordiæ data sunt impedimenta; Regi Siculo, qui præ cunctis terræ regibus terram sacram annonis et alimentis in tantæ desolationis articulo sustentabat, mors inopinata et intempestiva, et mortis sequela principum nostrorum gravis ob regni jura decertatio; gravissima fidelium populi transmarinis interea partibus fame et inedia miserabiliter afflicti, medios inter hostes expectatio. Veruntamen ut intellectum forte præbeat vexatio, ut aurum igne probetur, et virtus in infirmitate firmetur, hæc accidere permittuntur. Adversitas quippe (Gregorio testante) quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis est, non judicium reprobationis. Quis enim nesciat quam prosperum fuit quod Paulus Italias vergebat, et tam vehemens naufragium pertulit? Sed navis cordis in maris fluctibus integra stetit.

ANNOTATIONES IN CAPUT XIII.

Hoc castellum de Dinam (sic enim vicus ille usque in hodiernum diem dicitur) primo constructum est à Rogero de Monte Gomerico Comite Salopiæ, verum postquam Robertus de Belesmo filius ejus proditionis causa regno pulsus esset, Henricus Primus dedit idem castellum cum adjacenti valle Corvensi Fulconi de Dinam militi, à quo in familiam Piperellorum pertransit: deinde possessio fuit Walteri de Laci militis, patris Gilberti de Laci, cujus filia et hæres matrimonialiter conjuncta fuit Domino Galfrido de Genivile, cum honore de Corvedale et castro de Ludlow, &c. Postea vero Rogerus de Mortuo mari, primus Comes Marchiæ, eundem honorem et

castrum cum aliis possessionibus obtinuit, cum filia et hærede Domini Petri de Genivile, dicti Galfridi nepte; et sic tandem ad regiam familiam cum universis Mortimeriorum possessionibus devenit, atque hodie præcipuum Principis Cambriæ palatium, et præsidis ejusdem provinciæ domicilium habetur.

CAP. XIV.

DESCRIPTIO BALDWINI CANTUARIÆ ARCHIEPISCOPI.

Ejus autem cujus legationis insignia et quasi peregrinationis sanctæ præludia succincta brevitate prælibavimus, tam interioris hominis quam exterioris proprietatem exprimere, præter rem ne putetur. Erat itaque vir fuscus, vultu simplici ac venusto, statura modica, pro corporis captu habitudine bona, ad tenuitatem tamen quam ad corpulentiam magis accommoda; erat enim vir modestus ac sobrius, vir abstinentiæ magnæ et continentiæ tantæ, ut vix unquam in ipsum quicquam sinistrum ausa fuisset fama præsumere; vir sermone parcus, iracundia serus, cunctis propemodum naturæ motibus vel dotibus temperatus; erat quippe velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram, literarum studiis à puerilibus annis affatim imbutus, et jugum Domini ab adolescentia portans, moribus et vita eminens in populo lucerna fuit; unde et Archilevitæ quem canonice adeptus fuerat, cedens honorem et sponte deserens, mundique pompas alta mente despiciens, Cisterciensis ordinis habitum sancta cum devotione suscepit: et quoniam moribus olim plusquam monachus extiterat, infra anni terminum Abbas effectus, et intra paucos postmodum annos in Episcopum, deinde in Archiepiscopum est sublimatus, tanquam super pauca fidelis inventus et ob hoc supra multa constitutus. Cæterum quoniam, ut ait Tullius, nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit; innatæ benignitatis mansuetudinem, quam privatus exercuerat, in potestate non exuens, tantum baculo sustentans, et non virga castigans, tanquam ubera dans matris, et non verbera patris, remissionis in publico gravi cum

scandalo notam incurrit. Adeo nempe lenitatis in ipso tepor ac torpor, pastoralem penitus rigorem absumpsit, ut melior Monachus simplex quam Abbas, melior Episcopus quam Archiepiscopus fuisse videretur; unde et eidem Urbanus Papa quandoque scripsisse recolitur in hunc modum: Urbanus servus servorum Dei Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episcopo tepido, Archiepiscopo remisso salutem, &c.

Inter primos Thomæ martyris[1] successor hic secundus audita salvatoris et salutiferæ crucis injuria, nostris proh dolor diebus per Saladinum irrogata, cruce signatus, in ejusdem obsequiis tam remotis finibus quam propinquis, prædicationis officium viriliter assumpsit; et postmodum iter arripiens navigioque fungens, apud Marsiliam, transcurso tandem pelagi profundo, in portu Tyrensi incolumis applicuit, et inde ad exercitum nostrum obsidentem pariter et obsessum Aconem transivit, ubi multos ex nostris inveniens, et fere cunctos principum defectu, in summa desolatione jam positos et desperatione, alios quidem longa expectatione fatigatos, alios fame et inopia graviter afflictos, quosdam vero aeris inclementia distemperatos, diem feliciter in terra sacra clausurus extremum, singulos pro posse vinculo charitatis amplectens, sumptibus et impensis, verbis et vitæ meritis, confirmavit. Cujus cum universo fidelium cœtu, vias, vitas, et actus, dirigat in veritate, et ad gloriam nominis sui fideique palmam quam ipse plantavit, manus eorum ad prœlium doceat, et digitos eorum ad bellum, ille qui solus via, veritas est, et vita; via sine offendiculo, veritas sine ambiguo, vita sine fine.

ANNOTATIONES IN CAPUT XIV.

[1] Præcipua causa dissidii inter regem et Thomam Cantuariensem Archiepiscopum hæc fuit: cum rex in parlamento ad Northamptonensem urbem convocato, ad majorem subditorum suorum securitatem, et pacem conservandam, leges statui vellet, ut proditionis et homicidii crimen, in clericis et religiosis personis, quemadmodum et in aliis capitale haberetur; atque ut rei coram publicis regni judicibus sisterentur, et causam dicere coacti, secundum leges in ea parte salubriter editas judicium subirent: huic legi Thomas nullo modo assensum præbere voluit, affirmans clericos et religiosas personas non esse coram regni judicibus conveniendos, sed ab omni seculari jurisdictione esse immunes, quia scriptum est: Nolite tangere Christos meos. Qua in re gloriosum sibi fore duxit, cum rege pertinaciter et pernicioso exemplo contendere; nec erat ille religionis causa trucidatus; sed rege inscio, justa tamen de causa, et si non juste, quia sc. regi suo secundum ipsum Dei mandatum leges subditis suis in proprio regno statuenti, contumeliose se opposuerat, et è regno, non prius petita domini sui licentia, arroganter et contumeliose aufugiens, Galliæ Regem contra illum concitaverat; unde colligere licet, pertinaces pontificiæ tyrannidis propugnatores, etsi regibus suis rebelles, et patriæ proditores extiterint, ab ipso tamen Pontifice pro gloriosis martyribus reputari.

CAMBRIÆ DESCRIPTIO,

AUCTORE

SILVESTRO GIRALDO CAMBRENSE.

CUM

ANNOTATIONIBUS DAVIDIS POWELI,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

SILVESTRI GIRALDI CAMBRENSIS

STEPHANO

CANTUARIÆ ARCHIEPISCOPO,

IN CAMBRIÆ DESCRIPTIONEM,

PREFATIO PRIMA.

Ille ego qui quondam Hibernicam Topographiam cum abditis suis et naturæ secretis, in tribus distinctionibus triennii labore digessi, et vaticinalem expugnationis Hibernicæ subsequenter historiam duabus distinctionibus biennali lucubratione complevi, quique Itinerarium educens laboriosam viri sancti per Walliæ fines legationem sub ignorantiæ tenebris perire non permisi, Cambriæ nostræ Descriptionem, gentisque naturam aliis alienam nationibus et valde diversam, hoc opusculo declarare, tibique, vir inclyte Stephane Cantuariæ Archiepiscope (quem religio pariter et literatura commendant), sicut Itinerarium olim, sic præsentem quoque diligentiæ nostræ laborem vestræ sanctitati destinare disposui, quanquam tanto forte viro munus indignum, digno tamen cui digna donentur præsentatum.

Objiciunt autem nonnulli et sub dilectionis specie me pictori assimulant, qui preciosis abundans coloribus, et tanquam Zeuxis alter præcellens, ubi palatium insigne aut templum depingere cum multa expectatione sperabatur, tugurium aliquod seu vile quodcunque in sui natura, despectumque tanto artificio, tantisque sumptibus

illustrare contendit; sic etenim inter tantas tamque illustres mundi materias, me finales hos terrarum angulos, Hiberniam scilicet et Cambriam, literis extollere, rhetoricisque coloribus insignire velle, mirantur.

Præterea dicunt alii et acutius obloquuntur, collatam desuper gratiam non in infimis istis evacuandam, nec in principum laudes vana lucubratione consumendam, qui hodie nec literati nec largi, gloriosa literarum studia nec remunerare norunt, nec laudare. Quinimo, quod desursum illabitur, potius ad superna referri et ejus ad gloriam cuncta reverti debere, de cujus plenitudine id totum accepimus; ejusque summopere laudibus inservire, à quo omne donum perfectum tanquam ab indeficiente fonte descendit, cui vere nunquam ingrato nihil unquam oblatum transit irremuneratum. Sed quoniam nobiles aliarum regionum historiæ egregiis olim editæ scriptoribus, in lucem prodiere, nos ob patriæ favorem et posteritatis finium nostrorum abdita quidem evolvere, et inclyte gesta, nec dum tamen in memoriam luculento labore digesta, tenebris exuere, humilemque stilo materiam efferre, nec inutile quidem nec illaudabile reputavimus. Trojano nimirum excidio, Thebis et Athenis, Laviniisque littoribus, impar et inculta quid addere posset opera nostra? Quin igitur actum agere, quasi nihil agentis opus existeret; malui potius et longe præelegi pauperes finium nostrorum historias ab aliis hactenus omnino fere relictas, industria nostra parentibus et patriæ non ingratas declarare, et sic postmodum ad majora pedetentim et paulatim anhelare; et ut ex minoribus utcunque liqueat istis, quemadmodum majores cum sors materias obtulerit, noster valeat stilus explicare. Adhæc etiam quia quædam agenda sunt, et alia non prætermittenda; rudis adhuc viridisque juventutis conamina licuit in istis, et similibus exercere; ne sub otio penitus et delicti fonte desidia, tempora transeant dulciora.

Hæc igitur quasi præludia quædam ad inclytos scientiæ scientiarum thesauros quæ sola scit scire, sola scientes facere hominem tam

regere quam imbuere, quasi præambula prælibavimus; quam solam facultates aliæ tanquam pedissequæ reginam longe sequuntur. In his itaque tanto ædificio juvenilibus annis tuta struentes fundamenta ad eximios tam maturæ tam sacræ scientiæ tractatus postmodum explicandos maturiores annos Deo duce vitaque comite reservabimus. Ardua quippe fides, ut ait poeta, robustos exigit annos; in aliis itaque gratam istius moram facere fas est, sed moderatam; in hac non solum morari verumetiam mori desiderabile.

Porro ad hæc ingrediendum inducias petimus, sed exiguas, donec cum libello de Principis Instructione toties promisso, Cambriæ quam præ manibus habemus Descriptio et Britannica Topographia in publicam notitiam emanaverint.

Præ aliis itaque Britanniæ scriptoribus, solus mihi Gildas (quoties eundem materiæ cursus obtulerit) imitabilis esse videtur, quia ea quæ vidit et ipse cognovit scripto commendans, excidiumque gentis suæ declarans potius quam describens, veram magis historiam texuit quam ornatam: Gildam itaque Giraldus sequitur, quem utinam moribus et vita sequi posset, factus ejusdem, plus sapientia quam eloquentia, plus animo quam calamo, plus zelo quam stilo, plus vita quam verbis imitator.

PRÆFATIO SECUNDA

AD EUNDEM.

Cum inter varia literarum studia ad historias scribendas studiose mentis aciem applicuerim, inprimis patriam patriæque vicinas et conterminas ex industria regiones, ne natali ingratus solo viderer, pro ingenii modulo literis illustrare, et sic seriatim ad ulteriora, Deo duce vitaque comite (quasi salutata primum patria), transire disposui; sed quoniam nonnulli viri magni, quos vidimus et novimus, quibus literæ nauseam creant, libros egregios eis oblatos statim in scrineis recondere, et tanquam perpetuo carceri tradere et retrudere solent, a te, vir optime, cui præsens opusculum transmitti deproperat, petitum si placet et impetratum esse cupio, quatenus hæc nostræ diligentiæ monumenta, sicut et priora à nobis exarata, quanquam in se modica, aliquando tamen et aliquibus forsan accepta futura, tenebris involvi quæ lucem desiderant, non permittas; sed ea potius quæ publicata pulchrius elucescunt, voce liberali ac libera jubeas in commune deduci; pretium quippe laboris et præmium reputem, si sopitis interdum orationum instantiis et occupationum curis, vel oculos ad hoc quandoque legendum, vel saltem aures attente accommodes; nec enim aliam à vobis (cum hodie scripta nemo remuneret) vel expeto vel expecto retributionem, quanquam rationi tamen id dissonum minime foret, nisi à magnatibus hodie quasi conjuratio in authores facta fuisset, si ille qui tot virtutibus et tam industriæ quam naturæ dotibus, moribus electis et munificentiis his nostris diebus longe præeminet et præcellit, et in hac virtute ab aliis omnibus derelicta dudum et destituta, se ipsum spectabilem et quasi singularem exhiberet; ille, inquam

(ut brevi eloquio laudis ad cumulum multa concludam), cui versus illi Martialis ad Trajanum sub Diocletiano militantem digne poterint adaptari:

> Laudari debes, quoniam sub principe duro,
> Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Et illi Maronis ad Mæcenatem, principis mansuetudinem declarantes,

> Omnia cum possis tanto tam clarus amico,
> Te sensit nemo posse nocere tamen.

Ad hæc autem objiciunt multi, et hi præsertim qui dicuntur amici, ob studii vehementiam me rebus secularibus negotiisque familiaribus minus intentum, et ob hoc segnius in mundanæ dignitatis gradibus provehendum, authorum olim tam historicorum quam poeticorum authoritatem in desuetudinem abiisse; literarum honorem cum literatis principibus præteriise, aliis hodie viis ad honorem perveniri; fateor, hæc equidem fateor, et facile veris acquiesco: sequuntur enim principes improbi, curiam cupidi, codices clerici, et pixides ambitiosi; sed quoniam trahit sua quemque voluptas, me literarum à pueritia traxit amor, et tanquam deliciarum omnium caput literatæ studium delectat eloquentiæ. Hoc itaque præditus voto, supra coætaneos multos scrutabunda tam naturalium cursus rerum quam excursus inquisitione profeci, et posteritati consulens, inclyti nostri temporis acta sub silentio perire non permisi; nec ista tamen absque labore complentur plurimo sed jucundo, difficilis namque est certa rerum singularum indagatio, difficilis inquisitæ simul et exquisitæ veritatis ordinata dispositio, et ab initiali puncto finalem ad usque terminum non discrepante materia recta per medium funis extentio, difficilis quoque quatenus tam verbis quam sententiis scintillet oratio et ornati sermonis eloquutio, quippe cum ad plicandam memorandorum seriem, non minus interdum elegantium verborum torquet electio, quam vexat inventio; tanto namque propensiore opus est opera, tantoque

singula prius elimanda videntur quam eliminanda, quanto scripto commendata se multorum oculis subjicere non formidant; nec solum præsentibus sed et futuris, argutorum simul subitura judicium et offensorum; verba nimirum emissa quia statim evolant et evanescunt, nec laudis eorum memoria, nec vituperii diuturna. Scripta vero quando semel et publicata non prætereunt, ad auctoris sui permanentem vel gloriam extant vel ignominiam, quando, ut ait Seneca, Lividi lectoris malitia dictionem sanam et insanam pari revolvit appetitu, non amplius concupiscens electa quæ laudet, quam despecta quæ rideat; unde poeta:

Discit enim citius, meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.

Igitur inter studia laude dignissima hujus quoque studii laus non ultima; historia namque (ut ait moralis ille philosophosus) est antiquitatis auctoritas, testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis: tanto denique labor hic delectabilior, quanto dignius quam aliena recitare, recitanda proferre; quanto appetibilius ab aliis eligi quam bonus aliorum elector videri; quanto laudabilius digne ab aliis in laudem efferri, quam dignus aliorum laudator haberi: his itaque pascor deliciis et reficior, Hieronymo malens similis esse quam Crœso, longeque opibus cunctis opum approbans contemptorem: his gratulor deliciis et delector, semper intemperantiæ modestiam, semper honestam superfluitati præferens sufficientiam, et quando illa pereunt, ista perire non possunt; illa transeunt, ista cum æternitate contendunt; semper lucro laudem, semper gazis gloriam anteponens.

CAMBRIÆ DESCRIPTIONIS

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

DE LONGITUDINE CAMBRIÆ ET LATITUDINE, SOLI NATURA, ET TRIBUS BRITONUM RELIQUIIS.

Cambria, quæ adulterino vocabulo usitatoque magis sed proprio minus modernis diebus Wallia dicitur, ducenta millia passuum in longum, circiter vero centum millia in latum habet; longitudo namque à portu Gordber in Mona usque ad portum Eskewin in Venta quasi per octo dietas extenditur; latitudo vero à Porth Mawr Meneviæ, id est, portu magno, usque Rydhelic, quod Latinè vadum salicis, Anglice vero nunc Willowforde dicitur, quasi per quatuor dietas expanditur; montibus excelsis, vallibus imis, sylvis immensis, aquis et paludibus terra munitissima, adeo ut à tempore quo Saxones primum insulam occupaverant, reliquiæ Britonum qui in has partes secesserunt, nec ab Anglis olim, nec à Normannis postmodum expugnari ad plenum potuissent; illi vero qui australem angulum, qui à Ducis Corinæi nomine nomen accepit, susceperunt, quia terra tam munita non est, adeo rebelles esse non valuerunt: tertia namque Britonum extantium pars quæ Armoricum australis Galliæ sinum obtinuit, non post Britannicum excidium sed longe ante à Maximo Rege tyranno translata est, et post multos graves quos Britannica juventus cum ipso sustinuit bellicos sudores, ultimis his Galliarum finibus imperiali munificentia est remunerata.

ANNOTATIONES IN CAPUT I.

VETERUM Britannorum reliquiæ, quæ nunc in tribus regionibus, Cambria scilicet, Cornubia, et Armorica disjunctæ habitant, Britannici sermonis antiquitatem ita etiam hodie retinent, ut in ipsis vocabulis et rerum nomenclaturis unius regionis incolæ cum alterius incolis loquentes sensum facile percipiant; quanquam in syntaxi et loquutionis forma, qua in re ex Anglorum et Gallorum mixtione et jurisdictionis prærogativa, à Britannici idiomatis antiqua consuetudine nonnihil declinaverunt (ut in odis et rhythmis antiquis videre licet) aliquando discrepent.

CAP. II.

DE DIVISIONE WALLIÆ TOTALIS IN TRES PARTES.

Divisa est antiquitus Wallia totalis in tres partes tanquam æquales, plus æquivalentiæ tamen quam justæ quantitatis et proportionis habita consideratione; Venedotiam scilicet, quæ nunc Nordwallia, id est, Borealis Wallia, dicitur: Demetiam, vel Sudwalliam, id est, Australem Walliam, quæ Britannice Deheubarth, id est, dextralis pars, dicitur: Powisiam quasi mediam et orientalem. Divisionis autem hujus causa erat Rodericus Magnus, qui Britannice Roderi Mawr dicebatur, totique Walliæ præsidebat.[1] Hic tres filios habuit, Mervinum, Anarawt, et Cadelh, qui tres totam Walliam inter se diviserunt. Mervino cessit Nordwallia, Anarawt Powisia,[2] Cadelh cum populi totius et fratrum benedictione Sudwallia; ipsa nimirum quanquam quantitate longe major, propter nobiles tamen qui Uchelwyr quasi superiores viri vocantur, quibus abundabat, qui et dominis rebelles esse solebant, dominumque ferre detrectabant, deterior esse videbatur. Cadelh autem, præmortuis fratribus, totius Walliæ demum monarchiam obtinuit, et successores sui similiter usque ad Theodorum; descendentes enim à Theodoro tantum Sudwalliam obtinuerunt, sicut et pater eorum: hi scilicet, Resus filius Theodori, Gruffinus filius Resi, et Resus Gruffini filius, qui diebus nostris præfuit.

ANNOTATIONES IN CAPUT II.

[1] Etsi communis opinio omnium Neotericorum scriptorum sit Rodericum Magnum primum omnium Cambriam in tres partes, scilicet Venedotiam, Demetiam, et Powisiam, distribuisse, easque tribus filiis suis assignasse, ostendam tamen, longe ante excidium regni Britannici in has tres partes Cambriam fuisse divisam. Extat enim liber antiquissimus de legibus Britannorum, qui testatur Venedotiæ, Powisiæ, et Demetiæ incolas, mortuo Vortiporio, unum in locum convenisse ad novi regis electionem, ibique Malgonem Venedotum regem designasse. Historia etiam Britannica, Galfridus et Castoreus testantur, Morganum Demetiæ regulum, Caduanum regulum Venedotiæ, et Bledricum Coriniæ in auxilium ducem Brochmaelo Powisiæ regulo, et Devaniæ consuli contra Ethelfredum Northumbriæ Regem, post Banchorensem cladem, venisse, ubi Caduanus unanimi omnium consensu rex constitutus est Britanniæ; quæ omnia multis annis ante natum Rothericum contigerunt: non fuit is ergo illius divisionis auctor, sed his tribus provinciis, totidem ex filiis suis, quos multos habuit, præfecit.

[2] Vide infra cap. 3 annot. 1.

CAP. III.

DE GENERATIONE PRINCIPUM WALLIÆ.

Hæc itaque est generatio principum Sudwalliæ: Resus filius Gruffini, Gruffinus filius Resi, Resus filius Theodori, Theodorus filius Æneæ, Æneas filius Oeni, Oenus filius Hoeli Dha, id est, Hoeli Boni, Hoelus filius Cadelli filii Roderici Magni. De Cadello igitur filio Roderici Magni descenderant principes Sudwalliæ; de Mervino principes Nordwalliæ, in hunc modum: Leolinus filius Jorovarti, Jorovartus filius Oeni, Oenus filius Gruffini, Gruffinus filius Conani, Conanus filius Iago, Iago filius Edoual, Edoual filius Meyrici, Meyricus filius Anandhrec, Anandhrec filius Mervini filii Roderici Magni: de Anaraut autem generatio non provenit, unde et principes Powisiæ suam habent per se generationem.[1]

Hoc etiam mihi notandum videtur, quod bardi, Cambrenses, et cantores, seu recitatores, genealogiam habent prædictorum principum in libris eorum antiquis et autenticis, sed tamen Cambrice scriptam, eandemque memoriter tenent à Roderico Magno usque ad B. M.[2] et inde usque ad Sylvium, Ascanium, et Æneam, et ab Ænea usque ad Adam generationem linealiter producunt.

Sed quoniam tam longinqua, tamque remotissima generis enarratio multis trutanica potius quam historica esse videretur, eam huic nostro compendio inserere ex industria supersedimus.

ANNOTATIONES IN CAPUT III.

[1] In successione filiorum Roderici Giraldus bardis et genealogiarum Britannicarum scriptoribus adversatur; illorum enim constans assertio est, Anaratum primogenitum principem fuisse Venedotiæ, et genuisse Edoalum Meyrici patrem, qui fuit pater Edoali, patris Jacobi, patris Conani, patris Gruffini; et Powisiam cessisse Mervino filio juniori, qui liberos non reliquit, in cujus possessiones post ejus obitum irruit Cadellus medius, cui pater Demetiam dederat. Lelandus tamen et H. Lhoydus cum Giraldo sentiunt: per me itaque cuique liberum sit suo uti judicio, nolo enim, aut contra venerandæ antiquitatis auctoritatem et doctissimorum virorum sententias, meum interponere judicium, aut receptæ et constanti opinioni sine manifesta probatione contradicere.

[2] Librariorum vel scribentium ignorantia atque stultitia factum est, ut auctor hoc in loco turpiter corrumperetur, qui sic scripserat: Eandem memoriter tenent à Roderico Magno usque ad B. M. et inde usque ad Sylvium, &c. Superstitiosi fraterculi Beatæ Virginis cultui plus æquo addicti, nihil aliud per literas B. M. significari putabant, nisi Beatam Mariam; in auctore ergo transcribendo sic posuerunt: Eamque memoriter tenent à Roderico Magno usque ad Beatam Mariam. Alii locum ex corrupto magis absurdum reddiderunt, facientes ex B. M. Beatam Virginem; at qui in antiquitatibus Britannicis vel mediocriter versati fuerint, facile animadvertere possunt, B. M. in genealogiis Belinum Magnum Britanniæ Regem significare, à quo omnes nobiles totius Cambriæ genus ducunt, nam bardi in recensendis genealogiis semper ascendunt usque ad Belinum Magnum, ibique sistunt; quia inde ad Æneam pervulgata est, et satis cognita generis repetitio. Hoc quod

dico manifeste satis apparet in certificatorio cujusdam diplomatis regii ab Henrico Septimo Angliæ Rege ad abbatem monasterii de Valle Crucis, et Oenum Pool legum doctorem canonicum Herefordensem, in Cambriam transmissi, ad inquirendum, et modis omnibus investigandum stemma et genus Oeni Theodori avi regis; ubi in singulis genealogiis ad Belinum Magnum ascenditur, et non ultra; cujus certificatorii exemplar apud me est. Hic Belinus, alias dictus Heli, pater Luddi et Cassivellauni, Britanniæ Rex fuit, cujus nomen in genealogiis adeo tritum est, ut illud B. M. literis notare satis fuerit; nec possunt hujus scandali assertores ullum unquam Cambrorum proferre, qui genus suum ad Beatam Mariam deduxerit, licet multi sint qui sui generis enumerationem ad Belinum Magnum referant; detestantur enim Cambri Helvidianam insaniam, omnesque firmiter credunt Jesum Christum Servatorem nostrum non solum *πρωτότοκον* verum etiam *μονογενῆ* Beatæ Virginis filium extitisse.

CAP. IV.

QUOT CANTREDOS WALLIA CONTINET, QUOT CURIAS PRINCIPALES, ET QUOT SEDES CATHEDRALES.

Continet autem Sudwallia cantredos viginti novem, Nordwallia duodecim, Powisia sex, quorum tamen hodie multi ab Anglis et Francis occupati sunt; terra namque quæ Slopesburia dicitur, olim Powisiæ fuerat, unde et locus ubi nunc castrum Slopesburiæ situm est, olim Pengwern, id est, caput alneti, vocabatur.[1]

Tres enim fuerant Walliæ totius curiæ principales; Dinevor in Sudwallia, modernis diebus, antiquitus enim apud urbem legionum erat;[2] Aberfraw in Nordwallia; Pengwern in Powisia.

Est itaque numerus omnium cantredorum totius Walliæ quinquaginta quatuor. Cantredus autem, id est, cantref, à Cant, quod centum, et Tref, villa, composito vocabulo tam Britannica quam Hibernica lingua, dicitur tanta terræ portio, quanta centum villas continere solet.

Sunt autem in Wallia sedes cathedrales quatuor; in Sudwallia Menevensis super Hibernicum mare, David Archiepiscopo patrocinante; hæc antiquitus metropolitana fuerat, et cantredos continet viginti quatuor, cum tamen hodie tantum viginti tres contenta sit. Ergengl etenim, quæ Anglice Urchenfeld dicitur, intra diocesin Menevensem olim aliquando, intra Landafensem quoque quandoque fuisse perhibetur. Habuerat autem sedes Menevensis archiepiscopos successivè viginti quinque; sublato vero pallio usque ad hodiernum diem, viginti duo, quorum nomina et ordinem, causamque pallii sublati, si scire volueris, nostrum Itinerarium quæras.

In eadem quoque Australi Wallia sedis Landafensis super mare Sabrinum juxta nobile castrum de Caerdyf, præsule Teilo præsidente, quinque continens cantredos et quartam partem unius sc. Senghennyd.

In Nordwallia inter Monam et montes Eryri sedes Banchorensis Danielis Abbatis patrocinio gaudens, cantredos continens circiter novem.

In eadem paupercula cathedra Lanelvensis, cui et Powisia subest, Asaph Episcopo præsidente, cantredos continens quasi sex.

ANNOTATIONES IN CAPUT IV.

[1] Ante tempus Offæ Regis Merciæ, Pengwern, quæ hodie Salopia dicitur, principis Powisiæ sedes fuit; postea vero cum Cambri ab Offa ultra fossam, quæ ab ejus nomine in hodiernum usque diem Clawdh Offa dicitur, regredi cogerentur, præcipuum domicilium principis Powisiæ apud Mathraval ad Marnoviæ fluminis ripam situm est.

[2] Quod auctor urbem legionum Demetici principatus caput aliquando extitisse dicit, id referendum est ad tempus Arthuri Regis, ante translationem sedis archiepiscopalis, cum in ea urbe Christianæ religionis sincera professio vigeret, omniumque liberalium artium floreret studium, ex quo nobili gymnasio viri multi summa pietatis et doctrinæ laude conspicui prodierunt, ut Amphibalus, Julius, Aaron, Albanus, Dubricius, Sampson, David, Maugantius, et alii Evangelicæ veritatis assertores et propugnatores acerrimi, quorum pars major Christianam pietatem sanguinis sui profusione consignare non dubitarunt; post autem eversionem imperii Britannici regia sedes regni Demetici ab urbe legionum Maridunum translata est, ubi mansit

usque ad ingressum Normannorum in insulam, quo tempore Resus filius Theodori castrum de Dinevor construxit.

Venedotiæ caput et regia sedes antiquitus Devania fuit, quæ nunc Cestria dicitur, qua per Egbertum Regem hostiliter Britannis erepta, principis domicilium in Mona insula apud Aberfraw constitutum est.

CAP. V.

DE DUOBUS MONTANIS A QUIBUS AQUÆ NOBILES EMANANTES WALLIAM EGREGIE DIVIDUNT ET DISTINGUUNT.

Scinditur autem et distinguitur aquis Wallia nobilibus, quæ ex montanis duobus originem habent, Ellennith scilicet, in Sudwallia, quæ Angli Moruge vocant, quasi paludum cacumina; Eryri quoque in Nordwallia, quæ Anglice Snowdon dicuntur, id est, montes nivium; hi tantæ quantitatis et capacitatis esse perhibentur, quod si cuncta totius Walliæ armenta in unum coacta fuerint, eis ad pascua multo tempore sufficere possent; in his et duo lacus illi esse perhibentur, quorum alterum insulam erraticam, alterum autem pisces omnes monoculos certum est continere, sicut in Itinerario nostro declaravimus.

Notandum hic, et quod in Albania quoque duobus in locis, uno ad mare orientale, altero occidentale, pisces marini, qui Muluelli dicuntur, monoculi dextrum similiter oculum habentes, et sinistro carentes.

De montanis igitur Elennith nobilis emanat Sabrinæ fluvius, castrum Slopesburiæ, castrum Brugense, per urbem quoque Vigorniæ, per Gloverniam ferream atque fabrilem, sub qua paucis passuum millibus in mare descendit, quod ab ejus quoque nomine Sabrinum mare vocatur; hæc aqua multis olim temporibus inter Cambriam et Loegriam, hoc est, inter Walliam et Angliam, Marchia fuit. Hæc Britannice Hafren à nomine puellæ, filiæ sc. Locrini, ibi à noverca submersæ, vocata est; unde et Latine mutatione aspirationis in S, ut in distortis à Græcis in Latinum fieri solet, dicta est Sabrina, sicut pro hal sal, pro hemi semi, pro hepta septem. Vaga fluvius ab

eisdem quoque montanis Ellennith per Hayæ castrum, et Cliffordiæ, per urbem Herefordiæ, per castellum de Wiltonia, et castellum Godricii discurrens, sylvam quoque Danubiæ ferro fertilem atque ferina, transpenetrando usque Strigulense castrum, sub quo et in mare dilabitur, et Angliam ibidem à Wallia separans, modernis diebus Marchiam facit. Osca vero non ab Ellennith, sed à montanis de Cantref Bachan originem trahens, per principale castrum de Brecheinoc, quod Aberhodni dicunt, id est, casum Hodni in Oscam, Aber enim Britannice dicitur locus omnis ubi aqua in aquam cadit; per castrum de Abergevenni, per Oscæ castrum, per antiquam et autenticam legionum urbem descendens, non procul à Novoburgo in Sabrinum mare demergitur. Remni fluvius de montanis de Brecheinoc per castellum et pontem de Remni in mare descendit; et ab eisdem montanis Taf per sedem cathedralem de Landaf, cui et nomen dedit, usque ad castrum de Caerdyf, ubi se mari immiscet. Impetuose transcurrit de montibus Wladmorgan, inter egregia Cisterciensis ordinis cœnobia de Margan et Neth, Avenniæ fluvius; et Neth de montibus Brecheinoc vivo sabulo et absorbente terribiles in mare deproperant, Neth fluvio juxta castellum de Neth profluente: de montanis quoque de Brecheinoc Tawe fluvius per castellum de Abertawe, quod Anglice Swainsey dicitur. Lochor per castellum de Lochor, et Wendraeth per Cydweli in profundum dilabuntur. Ab Ellennith iterum nobile flumen Tywy, Cantref Mawr et Cantref Bachan ab invicem separans, per castrum Lhanymdhyfri, per castellum Dinevor sylvis et situ munitissimum, ubi et principalis Sudwalliæ curia fuit, per nobile castrum de Caermardhin, ubi Merlinus inventus fuerat, à quo et nomen accepit, usque ad castellum de Lhanstephan in mare transfertur.

De montanis Presseleu Taf fluvius non procul ab Albæ domus monasterio, per castellum de Sancto Claro non longe ab Abercorran et Talacharn in mare devolvitur. De montanis ejusdem Cledheu, provinciam Daugledheu complectentes, eique de suo nomine nomen donantes, alter per castellum de Lahaden, alter per Haverfordiam in

mare decurrunt, et dicuntur Britannice Daugledheu, quasi duo gladii.

A montibus etiam Ellennith aqua Teivi nobilis emanat à superiori parte Cantref Mawr, et Caerdigan, non procul ab armentis, et optimo de Stratflur monasterio, inferius autem Demetiam et Caerdigan, usque in Hibernicum mare longe disterminans; hæc aqua sola in Cambria castores habet, quorum miracula si scire volueris, Itinerarium quæras; salmone quoque præpingui præ cunctis Cambriæ fluviis magis abundat; sed quoniam in multorum forte manus liber iste deveniet, ad quas non ille, multa quæ de castoribus specialia reperies et notabilia quædam hic interserere præter rem non putavi; de hujus enim bestiæ natura, qualiter à sylvis ad aquas materiam vehant, quanto artificio extracta materia mediis in fluctibus munimenta connectant, quam defensionis artem contra venatores in occidente prætendant, et quam in oriente; de caudis quoque pisceis (ut aiunt, potius quam carneis) pauca interserere non inutile reputavi; reliqua vide in Itinerario lib. ii. cap. 3.

Montibus eisdem Ystuyth erumpit, et superiores Ceretica regionis partes de Penwedic transpenetrando, sub castro Aberystuyth in mare descendit. A niveis autem Eryri montibus nobilis Devi fluvius originem trahens, Sudwalliam à Nordwallia longe discernit et distinguit; ab eisdem quoque montibus Mawr fluvius magnus emanans, Traeth Mawr, et Traeth Bachan, id est, tractum majorem et minorem, facit. Dissennith similiter et Arthro per Merionyth et terram Conani dilabuntur. Conwy vero de sub Eryri pede boreali montis emergens, sub nobili castello Deganwy se marinis undis immiscet: à latere montis ejusdem per castellum Ruthlan, et sic usque in mare Cloyd dilabitur; de lacu Penmelesmere Douerdwy, quam Angli Deiam vocant, originem ducens, et per Cestriam currens, longeque à latere dextro sylvam de Coleshulle, Basinwerk, et divitem non procul inde argenti venam, vivum et absorbens mare influendo sabulum facit, et inter Walliam à parte boreali, sicut et Vaga ab australi, moderno tempore Marchiam facit.

CAP. VI.

DE AMŒNITATE WALLIÆ ET FERTILITATE.

Totius autem Walliæ sicut australis pars circa regionem Ceretica, et præcipue Demeticam campestri planicie maritimoque littore longe amœnior, sic borealis Venedotia et situ terrarum munitior, et robustis virorum corporibus fœcundior, uberique gleba fertilior esse dinoscitur; sicut montes Eryri cunctis Walliæ totius armentis in unum coactis ad pascua, sic insula Mona triticei graminis fertilitate toti Walliæ fertur aliquandiu sufficere posse; unde Mon mam Cymbry, id est, Mona mater Cambriæ, Britannice dici solet. Merionyth autem et terra Conani, præ aliis omnibus hispida et minus culta est, et inaccessibilis. Pars ista Walliæ lanceis longis præstat, sicut australis, et præcipue circa Ventæ fines, arcu solet prævalere.

Notandum etiam, quia in Nordwallia lingua Britannica delicatior, ornatior, et laudabilior est, quanto alienigenis terra illa impermixtior esse perhibetur; Cereticam tamen in Sudwallia regionem, tanquam in medio Cambriæ ac meditullio sitam, lingua præcipua uti et laudatissima plerique testantur.

Cornubienses vero et Armoricani Britonum lingua utuntur fere persimili, Cambris tamen propter originem et convenientiam in multis adhuc et fere cunctis intelligibili; quæ quanto delicata minus et incomposita, magis tamen antiquo linguæ Britannicæ idiomati, ut arbitror, appropriata: sicut in australibus Angliæ finibus, et præcipue circa Devoniam, Anglica lingua hodie magis videtur incomposita, ea tamen vetustatem longe plus redolens (borealibus insulæ partibus per crebras Dacorum et Norwagiensium irruptiones valde corruptis), originalis linguæ proprietatem et antiquum loquendi

modum magis observat; cujus etiam rei non solum argumentum, sed et certitudinem inde habere potes, quod omnes libros Anglicos Bedæ Rabani, Regis Alfredi, vel aliorum quorumcunque sub hujus idiomatis proprietate scriptos invenies.

CAP. VII.

UNDE DICTA SIT CAMBRIA, ET UNDE WALLIA.

Dicta est autem Cambria à Duce Cambro Bruti filio; Brutus etenim, mediantibus avo Ascanio et patre Silvio, à Trojanis descendens, et Trojanorum reliquias, qui in Græcia detenti fuerant, in occiduam hanc insulam ducens, cum annis non paucis feliciter regnasset, et tam terræ quam genti de suo nomine nomina dedisset, in extremo tandem positus articulo, tribus filiis suis regnum Britanniæ totale divisit.

Primo primævo, sc. Locrino, medium illud et meditullium inter Humbrum et Sabrinam, quod et ab ejus nomine Loegria vocatur.

Medio vero, sc. Albanacto, totam trans Humbrum insulæ partem, quæ et ab ejus nomine Albania dicitur.

Natu vero minori, sc. Cambro, totam trans Sabrinam regionem, quæ similiter et ejus nomine Cambria nuncupatur; hinc igitur et proprie et vere patria Cambria; hinc patriotæ Cambri vel Cambrenses dicuntur; eorum autem linguam à Cam et Græco dictam dicunt, hoc est, distorto Græco, propter linguarum affinitatem, quæ ob diutinam in Græcia moram contracta est, probabilis quidem et verisimilis est, minus tamen vera relatio.

Wallia vero non à Wallone Duce, vel Wandolena Regina, sicut fabulosa Galfridi Arthuri mentitur historia, quia revera neutra eorum apud Cambros invenies, sed à barbarica potius nuncupatione nomen istud inolevit. Saxones enim occupato regno Britannico, quoniam lingua sua extraneum quemlibet Wallum vocant, et gentes has sibi extraneas Wallenses vocant, et inde usque in hodiernum barbara

nuncupatione, et homines Wallenses et terra Wallia vocitatur; sed quoniam de qualitate terræ et quantitate, de generatione principum, origine fluminum, et ratione nominum hactenus explicuimus, naturam gentis et proprietatem evolvere subsequentur aggrediemur.

CAP. VIII.

DE GENTIS HUJUS NATURA, MORIBUS, ET CULTU; ET PRIMÒ DE AUDACIA EJUS, AGILITATE, ET ANIMOSITATE.

Gens hæc igitur gens levis et agilis, gens aspera magis quam robusta, gens armis dedita tota; non enim nobiles hic solum, sed totus populus ad arma paratus est; bellica tuba sonante non segnius ab aratro ruricola, quam aulicus ab aula prorumpit ad arma: non etenim hic, ut alibi, redit

——agricolis labor actus in orbem;

solùm quippe Martio et Aprili solum semel aperiunt ad avenas; nec non bis in æstate, tertiòque in hyeme ad tritici trituram terras vertendo laborant: totus propemodum populus armentis pascitur et avenis, lacte, caseo, et butyro; carne plenius, pane parcius vesci solent; non mercimoniis, non navigiis, non mechanicis artibus, nec ullo prorsus nisi martio labore vexantur, patriæ tamen tutelæ student et libertatis, pro patria pugnant, pro libertate laborant, pro quibus non solum ferro dimicare, verum etiam vitam dare dulce videtur; unde et in thoro turpe, in bello mori decus reputant: ac illud poetæ dixerunt: Procul hinc avertite pacem; nobilitas cum pace perit, nec mirum, si non degenerant. Quorum etenim hi reliquiæ sunt, olim Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant; de his igitur hoc spectabile, quod nudi multoties cum ferro vestitis, inermes cum armatis, pedites cum equitibus, congredi non verentur, in quo plerunque conflictu sola fiunt agilitate et animositate victores. Illis, quorum poeta sic meminit, sicut situ sic et natura non dissimiles,

——populi quos despicit arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus, inde ruendi
In ferrum, mens prona viris, animæque capaces
Mortis et ignavum rediture parcere vitæ.

Armis tamen utuntur levibus agilitatem non impedientibus, loricis minoribus, sagittarum manipulis, et lanceis longis, galeis et clypeis, ocreisque ferreis rarius; equis autem cursoribus et generosis, quos patria gignit, nobiliores ad bella feruntur: pars autem populi major propter terras palustres pariter et inæquales ad prælia pedestres incedunt, equites autem pro locorum et temporum opportunitate seu dimicando, seu fugiendo facile pedites fiunt: nudis autem pedibus ambulant, vel corio crudo consutis, barbaris pro calciamento peronibus utentes. Pacis quoque et juventutis tempore sylvas et saltus transpenetrare, montium alta transcurrere, dies huic labori noctibus continuare ex industria prædiscunt, et quasi sub pace prælia dum cogitant, nunc lanceando, nunc fatigando bella præludunt; illud autem in hoc loco notandum videtur, quod Anglorum Rex Henricus Secundus nostris diebus Imperatori Constantinopolitano Emanueli super insulæ Britannicæ situ ac natura magisque notabilibus, literis et nuntiis inquirenti, inter cætera hoc quasi præcipue notabile rescripsit: In quadam insulæ parte sunt gentes, quæ Wallenses dicuntur, tantæ audaciæ et ferocitatis, ut nudi cum armatis congredi non vereantur, adeo ut sanguinem pro patria fundere promptissime, vitamque velint pro laude pacisci; quod et mirandum, quia bestiæ per totam propemodum insulæ faciem quasi mansuescunt, homines vero projecti bestiales mansuescere nesciunt: in tanta quoque multitudine ob pacem eis indultam hìc feræ, præcipueque cervi et damæ, abundant, ut in borealibus insulæ finibus versus Pech nostris diebus, canes eorumque duces in impetu numerositatis suæ ad interitum cervi suppeditaverint.

CAP. IX.

DE SOBRIA EJUSDEM CŒNA ET PARCIMONIA.

Præterea nec crapulæ dediti nec temulentiæ, quibus est nec cœna, nec vestium ulla sumptuositas; sed in equis solum et armis eorumque apparatibus tota versatur intentio: quibus ad patriæ prædæque tuitionem mens semper erecta. A mane in vesperam jejuni, totum rebus agendis animum, totum consiliis providentiæ diem donant, vespere vero cœna sobria; et si forte nulla vel minima fuerit, vesperam alteram patienter expectant; et tamen nec fame nec frigore tardati, ad hostiles irrogandum invasiones noctes tenebrosas diligunt et procellosas.

CAP. X.

DE HOSPITALITATE ET DAPSILITATE.

Nemo in hac gente mendicus, omnium enim hospitia omnibus sunt communia, largitatem quippe, et præcipue dapsilitatem, cunctis virtutibus anteponunt; adeo nempe hospitalis hic gratia communione lætatur, quod itinerantibus ea nec offeratur nec petatur, tantum etenim domum intrantes protinus arma custodiæ tradunt; deinde statim aquam offerentibus, si pedes ablui permiserint, hospitio suscepti sunt, aquæ nimirum pedibus oblatio hospitalis apud hanc gentem est invitatio. Obsequium autem oblatum si forte recusant, matutinas recreationes, et non hospitia volunt; per turbas igitur et familias capite sibi præfecto gentis hujus juventus incedit, solum armis et otio data, patriæque defensioni promptissima, unde et tecta cujuslibet veluti propria secure subintrant.

Qui matutinis autem horis adveniunt, puellarum affatibus, et cytherarum modulis usque ad vesperam delectantur; domus enim hic quælibet puellas habet, et cytheras ad hoc deputatas; unde et duo notabilia hic reperies, quia zelotypiæ vitio sicut nulla magis quam Hibernica, nulla minus quam Cambrica gens laborat: omnis quoque decuria seu familia viri, citra doctrinam omnem cytharizandi per se peritiam tenent. Vespere vero, cessantibus jam adventantium turbis, juxta numerum virorum et dignitatem, juxta domus quoque facultatem exhibitio procuratur, ubi non ferculis multis, non saporibus et gularum irritamentis coquina gravatur, non mensis, non mappis, vel manutergiis domus ornatur; naturæ magis student quam nitori; unde cœnantibus non binis, ut alibi, sed trinis, scirpis, et herbæ

nitidæ, scutellis et latis et amplis fercula cuncta simul apponunt; pani quoque tenui et lato quotidiano labore decocto, cujusmodi in veteri instrumento Lagana dici solent; interdum pulmentaria supponunt; talibus olim usus est mensis puer ille nobilis, de cujus et hi se genere jactant, et cujus adhuc ex parte mores observant, testante poeta:

Heu mensas consumpsimus, inquit Iulus.

Cum autem certatim obsequiis familia tota deserviat, soli præ cæteris hospes et hospita, semper astando solicite cuncta perlustrant, nec unquam, nisi post plenam omnium refectionem, cibos sumunt, ut si quis forte defectus accidere debeat, in ipsos cadat: demum autem hora soporis instante publico strato, per latera domus in longum, juncis solum tenuiter insertis, panno quoque duro et aspero, quem patria parit (qui et vulgari vocabulo Brychan dicitur), superposito, communiter accumbunt, nec alius eis nocte cultus, quam die, pallio namque tenui, et interula solum omni tempore frigora pellunt; igne tamen sicut die sic et nocte tota ad pedes accenso, propinquo pariter concubantium calore multum adjuti; cum autem vellatus inferiùs thori duritia lassari, vel etiam nimio superiùs algore frigescere cœpit, illico ad ignem prosiliunt, de cujus beneficio promptissima utriusque incommodi remedia quærunt, et sic ad strata revertentes, alternis vicibus latus unum frigori, alterum vero duritiæ donant.

CAP. XI.

DE CRINIUM TONSURA, DENTIUM CULTU, ET BARBÆ RASURA.

Tam mulieribus autem in hac gente, quam etiam maribus ad aures et oculos tonsura rotunda. Mulieres etiam peplo candido et amplo more Parthico in coronam per gradus erecto capita velant.

Dentes vero in utroque sexu præ omni quam vidimus natione propensius curant, quos assidua corili viridis confricatione, lanei quoque panni purgatione, tanquam eburneos reddunt, eorundem etiam culturæ gratia alimentis abstinent calidis, frigidis autem, tepidis, et temperatis semper utuntur. Barbam viri præter gernoboda solum radere solent; et hanc non de novo, sed ab antiquo longisque retro seculis consuetudinem tenent, sicut ex libro de Gestis Julii Cæsaris ab ipso conscripto perpendi potest, ubi et hæc verba reperies:

Britannorum gens omni parte corporis abrasa præter caput et labrum superius. Solent etiam, ut agiliores fierent, et comis capita nudare, casum Absolonis, quoniam sylvas et nemora sæpe percurrunt, vitare volentes; unde et usque in hodiernum gens hæc quoque præ gentibus aliis, pilositatem magis abradit. Refert etiam Julius, quod Britones temporibus illis martio certamine congressuri facies suas nitreo quodam unguento liniebant, inde et easdem tam luridas habebant et perlucidas, ut vix in earum vultus, præsertim sole repercusso, hostes aciem intendere prævaluissent.

CAP. XII.

DE INGENII ACUMINE ET SUBTILITATE.

Item ingenii gens subtilis, acuti, cuicunque studio animum applicuerint, venæ divitis dote præcellunt, totaque communiter hæc natio præ gentibus aliis occiduo climate degentibus arguta nimis et astuta.[1]

In musicis instrumentis dulcedine aures deliniunt et demulcent, tanta modulorum celeritate pariter et subtilitate feruntur, tantamque discrepantium sub tam præcipiti digitorum rapacitate consonantiam præstant, quantum, ut breviter transeam, in tribus nationibus titulo de Musicis Instrumentis Hibernica Topographia nostra declarat in hæc verba: Mirum quod in tanta tam præcipiti digitorum rapacitate musica servatur proportio, et arte per omnia indemniter crispatos modulos organaque multipliciter intricata, tam suavi velocitate, tam dispari paritate, tam discordi concordia consona redditur, et completur melodia, *διατεσσερῶν* seu *διαπέντε* chordæ concrepent, semper autem à B molli incipiunt, et in idem redeunt, ut cuncta sub jucundæ sonoritatis dulcedine compleantur; tam subtiliter modulos intrant et exeunt, sicque sub obtuso grossioris chordæ sonitu gracilium tinnitus licentiùs ludunt, latentiùs delectant, lasciviùsque demulcent, ut pars artis maxima videatur artem velare, tanquam

Si lateat prosit——
——ferat ars deprensa pudorem.

Hinc accidit, ut ea quæ subtilius intuentibus, et artis arcana acute discutientibus, internas et ineffabiles comparant animi delitias, ea non attendentibus, sed tanquam videndo non videntibus, et audiendo non intelligentibus, aures potius onerent quam delectant, et tanquam

confuso, inordinatoque strepitu invitis auditoribus fastidia pariant tædiosa. Tribus utuntur instrumentis, cythara, tibiis, et choro.

In causis, actionibus, et foro civili captando, insinuando, inveniendo, disponendo, refutando, et confirmando, nullas penitus naturalis rhetoricæ partes omittunt; in cantilenis, rhythmicis, et dictamine tam subtiles inveniuntur, ut miræ et exquisitæ inventionis lingua propria tam verborum quam sententiarum proferant exornationes; unde et poetas, quos Bardos vocant, ad hoc deputatos in hac natione multos invenies, juxta illud poeticum:

Plurima concreti fuderunt carmina Bardi.

Præ cunctis autem rhetoricis exornationibus Anominatione magis utuntur, eaque præcipue specie, quæ primas dictionum literas vel syllabas convenientia jungit. Adeo igitur hoc verborum ornatu, duæ nationes, Angli scilicet et Cambri, in omni sermone exquisito utuntur, ut nihil ab his eleganter dictum, nullum nisi rude et agreste censeatur eloquium, si non schematis hujus lima plene fuerit expolitum; sicut Britannice in hunc modum:

Digawn dûw da y unic.
Wrth bob crybwylh parawd.

Anglice vero,

God is together gammen and wisedome.

In Latino quoque haud dissimiliter eloquio eandem exornationem frequens est invenire in hunc modum. Virgilius:

Tales casus Cassandra canebat;

et illud ejusdem ad Augustum:

Dum dubitet natura marem, faceretve puellam,
Natus es, o pulcher, penè puella, puer!

In nullis tamen linguis, quas novimus, hæc exornatio adeo ut in prioribus duabus est usitata: mirum autem, quod Gallica lingua alias tam ornata, hunc verborum ornatum ab aliis tam usitatum prorsus ignorat, nec ego tamen id crediderim, quod priores populi duo tam diversi ab invicem et adversi in hoc verborum ornatu ex arte conveniant; sed potius ex usu longo, qui quia placuit solum, et facili similium ad similia transitu aures demulcet, per succedentia tempora inolevit. Sicut Tullius in libro de Elocutione, de talibus qui usum habent et non artem loquitur, dicens: Cæteri cum legunt orationes bonas, aut poemata, probant oratores et poetas, neque intelligunt, qualiter commoti probent, eo quod scire non possunt, ubi sit, aut quid sit, quomodo factum sit id, quod eos maxime delectat.

ANNOTATIONES IN CAPUT XII.

[1] Hoc quotidiana docet experientia, quod vel ipsa invidia negare non potest, veterum Britannorum reliquias præstantis cujusdam indolis bonitate, et naturalis ingenii dexteritate ita pollere, ut omnium liberalium scientiarum, et aliarum artium, quæ humanis necessitatibus inserviunt, reperiantur capacissimi; sed præ aliis studiis, juris civilis, et rerum politicarum cognitione gaudent, et in rebus suæ fidei commissis summa utuntur diligentia; unde fit, ut in magnatum negotiis procurandis sæpius adhibeantur.

CAP. XIII.

DE SYMPHONIACIS EORUM CANTILENIS ORGANICIS.

In musico modulamine non uniformiter, ut alibi, sed multipliciter, multisque modis et modulis cantilenas emittunt, adeo ut in turba canentium, sicut huic genti mos est, quot videas capita, tot audias carmina discriminaque vocum, varia in unam denique sub B mollis dulcedine blanda consonantiam et organicam convenientia melodiam. In borealibus quoque Majoris Britanniæ partibus trans Humbrum, Eboracique finibus, Anglorum populi qui partes illas inhabitant simili canendo symphoniaca utuntur harmonia; binis tamen solummodò tonorum differentiis, et vocum modulando varietatibus, una inferius submurmurante, altera vero superne demulcente pariter et delectante; nec arte tantum, sed usu longævo, et quasi in naturam mora diutina jam converso, hæc vel illa sibi gens hanc specialitatem comparavit: qui adeo apud utramque invaluit, et altas jam radices posuit, ut nihil hic simpliciter, ubi multipliciter, ut apud priores, vel saltem dupliciter, ut apud sequentes, mellite proferri consueverit. Pueris etiam, quod magis admirandum, et fere infantibus, cum primum à fletibus in cantus erumpunt, eandem modulationem observantibus. Angli vero, quoniam non generaliter omnes sed boreales solum hujusmodi vocum utuntur modulationibus, credo quod à Dacis et Norwagiensibus, qui partes illas insulæ frequentius occupare, ac diutius obtinere solebant, sicut loquendi affinitatem, sic canendi proprietatem contraxerunt.

CAP. XIV.

DE VERBORUM FACETIA ET URBANITATE.

DECURIA vero et familia viri, ut circumstantibus risum moveant, sibique loquendo laudem comparent, facetiam in sermone plurimam observant, dum vel sales, vel lædoria nunc levi lingua, nunc mordaci sub æquivocationis vel amphiboliæ nebula, relatione diversa, transpositione verborum, et trajectione subtiles et dicaces emittunt; unde et exempla quædam explanandi gratia subsequenter annecti non superfluum reputavi. Tegengl est nomen provinciæ apud Venedotiam cui dominabatur David Oeni filius, quam et quidam frater ejus quandoque possederat; hoc idem et nomen fuit mulieris cujusdam, quam uterque habuisse dicebatur; unde et aliquoddam dictum est injuriosum, Tegengel habere, cum frater ejusdem ante Tegengel habuerit.

Item cum ecclesiam Menevensem provinciæ Princeps Resus Gruffini filius cum suorum multitudine peregrinandi causa aliquando devotius adiisset, factis oblationibus et missarum solemnitate completa, accessit ad eum juvenis quidam in ipsa ecclesia, seque filium ejus esse publice protestando, et ad pedem ipsius se prosternendo, quatenus eidem rei certitudinem ferri candentis examine probare liceret, cum lachrymis humiliter imploravit: quo verbo ad familiam et filios ejusdem duos, qui jam exierant extra, delato, subjecit juvenis quidam; nec mirum, alii enim aurum obtulerunt, alii argentum, hic autem, qui utroque caruit, quod habuit obtulit, sc. ferrum, paupertatis incommodum juveni dicaciter improperans. Cum de domo quadam forti, et quasi inexpugnabili sermo à quibusdam factus

fuisset, dixit unus eorum: Vere domus hæc fortis est, quia si in ea esca fuerit, nunquam erit conquisita; ad utrumque referri potuit, et ad escam et ad domum. Similiter et dominam domus cujusdam quidam avaritiæ notans, dixit: Hoc solum in hospita nostra reprehensibile invenio, quod parum butyri ex consuetudine sali imponit, cum accessorium rei principali soleat apponi, subtili verborum trajectione, quoniam in quantitate abundare videbatur accessorium, principale constituens. Similia in Macrobio de Saturnalibus, philosophorum et magnorum virorum dicta scripto commendata, hæc et hujusmodi multa reperies. Cicero cum Lentulum generum suum, exiguæ staturæ hominem, longo gladio accinctum vidisset: Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit? Accessorium causa præscripta in principale convertens. Idem, cum Q. Ciceronis fratris imaginem clypeatam cum ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam vidisset, ait: Frater meus dimidius major est quam totus. Cum soror Fausti mœchum haberet fullonem: Mirum, inquit, sororem meam maculam habere, cum fullonem habeat. Cum Hannibali Antiochus copias bellatorum et armorum ingentes in campis ostenderet, quas bellum facturus populo Romano comparaverat: Putasne, inquit, ô Hannibal, hæc satis esse Romanis? Hannibal imbelles militum ejusdem cohortes eludens: Plane, inquit, satis esse credo Romanis hæc, etsi avari sint; lepide satis et acerbe respondens; cum rex de æstimanda ejus præparatione quæreret, ille de præda dixit.

CAP. XV.

DE LOQUENDI AUDACIA ET SECURITATE.

Loquendi audaciam et respondendi fiduciam coram principibus et magnatibus cunctis communiter et minimis in plebe, sicut majoribus in omni negotio natura dedit. Romanos et Francos hanc eandem naturæ dotem habere videmus, non autem Anglos, sicut nec Saxones, à quibus descenderant, nec Germanos: si enim servitutem causaris in Anglis, et hunc eis inde defectum assignas; in Saxonibus et Germanis, qui et libertate gaudent, et eodem tamen vitio vexantur, ratio non provenit. Saxones igitur et Germani à gelida poli regione, cui subjacent, hanc trahunt naturæ geliditatem. Angli quoque quanquam olim à regione remoti, originali tamen natura tam exteriorem in candore qualitatem quam etiam interiorem illam geliditatis, eadem ex causa liquida sc. et gelida complexionis natura proprietatem inseparabiliter tenent. Britones autem è diverso ex calida et adusta Dardaniæ plaga, quanquam in fines hos temperatos advecti, quia

Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt,

tam exterius fuscum illum cognatumque terræ colorem, quam etiam naturalem interius ex adusto humore calorem, unde securitas oritur, originaliter trahunt; tres etenim populi, Romani Æenea duce, Franci Antenore, Britones Bruto, post Trojanum excidium reliquiæ Danaum ab Asia in Europam varias ad partes profugerunt: tribus igitur his nationibus hinc animositas, hinc nobilitas, et tanta generositatis antiquitas, perspicacis ingenii subtilitas, et loquendi securitas. Inter has autem gentes, quæ Trojani reliquiæ sunt excidii, soli Britones, quia, ut videtur, multis post vastationem et eversionem patriæ anno-

rum curriculis in Græcia detenti, tardius in occiduos hos Europæ fines advecti sunt, et primæva gentis suæ vocabula, et originalis linguæ proprietatem abundantius retinuerunt. Invenies etenim in his hæc nomina, Oenus, Resus, Æneas, Hector, Achilles, Heliodorus, Theodorus, Ajax, Evander, Uliex, Anianus, Elisa, Guendolena, et alia multa in hunc modum antiquitatem redolentia. Notandum etiam, quod verba linguæ Britannicæ omnia fere vel Græco conveniunt vel Latino; Græci ὕδωϱ aquam vocant, Britones dour; salem ἅλ, Britones halen; ὄνομα eno; πέντε, δέκα pump, dec. Item Latini frenum dicunt, et tripodem, gladium, et loricam; Britones, froyn, trepet, cledhyf, et lhuric; unico unic; cane can; belua beleu.

ANNOTATIONES IN CAPUT XV.

Linguæ Britannicæ vocabula pauciora à Græcis, infinita autem à Latinis recepta sunt, ut:

Anuodh	invitus.	Car	carrus.
Aradr	aratrum.	Carw	cervus.
Ariant	argentum.	Caws	caseus.
Arueu	arma.	Celh	cella.
Aur	aurum.	Cely	celare.
Awr	hora.	Cist	cista.
Bacl	baculus.	Coch	coccineum.
Bendith	benedictio.	Corn	cornu.
Ber	veru.	Cuyr	cera.
Cader	cathedra.	Cybydh	cupidus.
Calch	calx.	Cybydhdra	cupiditas.
Canwylh	candela.	Cylhelh	cultellus.

Dant	dens.
Die	dies.
Dilyw	diluvium.
Dysc	disciplina.
Dyscibl	discipulus.
Eccleys	ecclesia.
Fenester	fenestra.
Fest	festinanter.
Festa	festina.
Fos	fossa.
Fyrf	forma.
Gwal	vallum.
Glud	gluten.
Gwenwyn	venenum.
Gwiber	vipera.
Gwyder	vitrum.
Gwyrdh	viride.
Lhavurys	laboriosus.
Lheo	leo.
Lhin	linum, item linea.
Lhuric	lorica.
Lhyver	liber.
Magwyr	maceria.
Malais	malitia.
Marw	mori.
Mawr	magnus.
Medheginiaeth	medicina.
Medhic	medicus.
Mêl	mel.
Melhtith	maledictio.
Melhtithio	maledicere.
Melhtigedic	maledictus.
Membrwn	membrana.
Menyber	manubrium.
Milwr	miles.
Milwriaw	militare.
Moes	mos.
Monwent	monumentum.
Môr	mare.
Mur	murus.
Mynydh	mons.
Nos	nox.
Orie	horæ.
Orioc	horarius.
Pared	paries.
Pawl	palus.
Pont	pons.
Porth	porta.
Pisc	piscis.
Scriven	scriptura.
Scriveny	scribere.
Sych	siccus.
Stabl	stabulum.
Tarw	taurus.
Tembl	templum.
Tir	terra.
Tyner	tener.
Tyst	testis.
Tystiolaeth	testificatio.
Tystholaethy	testificare.
Yscal	scala.
Yscol	schola.
Yscholhaic	scholasticus.
Ysbryd	spiritus.

Atque sexcenta alia trita et vulgaria quidem illa, quæ non recens nata sunt, sed ante mille annos elapsos in usu recepta, et apud imperitum vulgus usque in hodiernum diem communiter usurpata.

CAP. XVI.

DE DIVINATORIBUS IN HAC GENTE, ET QUASI ARREPTITIIS.

Sunt et in hoc Cambriæ populo, quod alibi non reperies, viri nonnulli, quos Awenydhyon vocant, quasi mente ductos; hi super aliquo consulti ambiguo, statim frementes spiritu quasi extra se rapiuntur, et tanquam arreptitii fiunt; nec incontinenti tamen quod desideratur edisserunt, sed per ambages multas inter varios quibus effluunt sermones, nugatorios magis et vanos quam sibi cohærentes, sed omnes tamen ornatos, in aliquo demum verbi diverticulo, qui responsum solerter observat, quod petit accipiet enucleatum, et sic denique de hac extasi tanquam à somno gravi ab aliis excitantur, et quasi per violentiam quandam ad se reverti compelluntur: ubi et duo notanda reperies, quia post responsum nisi violenter excitati et revocati ab ejusmodi quasi furore reverti non solent, et quod in se reversi nihil horum omnium, quæ ab eis interim prolata sunt, ad memoriam revocabunt. Unde etsi forte super hoc iterum vel alio consulti, dicere debeant aliis omnino verbis et alienis enuntiabunt. Forsan sicut per phanaticos et energumenos spiritus interdum loquuntur tanquam ignaros; solent autem eis hæc dona plerumque in somnis per visiones infundi: quibusdam enim videtur, quod eis vel lac dulce, vel mel ori infundatur; aliis etiam, quod eis schedula inscripta ori imponatur, et statim à somno erecti se gratiam hanc suscepisse publice profitentur.

Tale est illud Esdræ de se scribentis: Dixit Dominus mihi: Aperi os tuum; et aperui os meum, et ecce calix plenus aqua, cujus color similis igni, et cum bibissem, eructavit cor meum intellectum, et in pectus meum introivit sapientia. Faciunt autem inter vaticinia invo-

cationes ad Deum vivum et verum, et ad Sanctam Trinitatem, ut peccatorum meritis à veri inventione non impediantur. In aliis autem nationibus, quam hac Britannica, sicut et olim Trojana, de qua descendunt, prophetas hujusmodi raro reperies. Calcas etenim et Cassandra apud Ilion, nobilis illius obsidionis tempore vaticinii spiritum habentes, urbis excidium aperte prædixerunt; unde et Helenus Priami filios, qui Archiflamen eorum erat, propter vaticiniorum libros quos habebat, tam Calcantis, quam et aliorum longe ante super patriæ destructione, primo statim ad Græcos una cum Calcante se transulit anno, à quibus et egregie postmodum in Græcia remuneratus est. Cassandra vero puella Priami Regis filia, quotidie urbis eversionem canebat, nec ei tamen ob superbiam Trojanorum nimiam et præsumptionem fides habebatur; nocte quoque qua urbs prodita fuit, proditionem ipsam et modum prodendi manifeste præcecinit; unde Virgilius:

——Tales casus Cassandra canebat.

Sicut et olim, stante adhuc Britonum regno, gentis excidium, et tam Saxonum primo, quam etiam Normannorum post adventum, Merlinus uterque tam Calidonius quam Ambrosius fertur vaticinando declarasse; illud quoque, quod de talibus A. Gellius refert, hic interserere dignum duxi: Quo die C. Cæsar et Cn. Pompeius, per civile bellum collatis signis in Thessalia conflixerunt, in Transpadana Italia memoratu digna res accidit: sacerdos namque Cornelius, et loco nobilis, et sacerdotii religione venerandus, et vitæ castitate sanctus, repente, mota mente, Cæsarem vicisse proclamavit, pugnæque dies et exitus omnis, pugnandi reciprocationes, et ipsa duorum exercituum conflictatio ejus vaticinantis motu atque verbis repræsentata est. Si spiritu proferantur hujusmodi, scrupulosius lector inquiras; non dico Pythonico, non dæmoniaco, verum quia sicut solius Dei proprium est scire futura, sic et futurorum scientiam dare, spiritu scientiæ desuper et gratia dato. Divisiones quippe gratiarum

sunt, ut ait Apostolus, unus autem atque idem spiritus; unde Petrus in Epistola Secunda: Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt homines: ad idem facit illud in Daniele, quod Chaldæi Regi Nabuchodonosor super somnii sui interpretatione, quam ab ipsis extorquere volebat, responderunt: Non est, inquiunt, homo super terram qui sermonem tuum, Rex, possit implere; sed neque regum quisquam magnus et potens verbum hujusmodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo, sermo enim, quem tu, Rex, quæris, gravis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu Regis, exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio. Super eundem locum Hieronymus: Confitentur arioli, et omnis scientia secularis, præscientiam futurorum solius Dei esse, non hominum, unde probatur, prophetas spiritu Dei locutos, qui dixerunt futura. Ad hoc autem, quod objiciunt quidam, si spiritu Dei ducerentur, quandoque permitterent; hæc dicit Dominus Deus, vel aliquid in hunc modum more prophetico, et quia talis prophetandi modus in Merlino non reperitur, eum potius Pythonico spiritu locutum esse plerique conjectant; et quia etiam de sanctitate ipsius vel devotione, quamque fidelis fuerit minime legitur; ad quæ respondeo, quod non solum sanctis, sed infidelibus interdum et gentilibus, sicut Baalæ et Sibyllæ, et etiam malis, ut Caiphæ, sicut et Beleæ, prophetiæ spiritus datus est; unde Origenes super Numer. Ne mireris, eum quem diximus scribas et pharisæos et doctores populi significare Judæos de Christo prophetare, Caiphas enim ait: Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo; sed, inquit, quia erat pontifex anni illius, prophetavit. Nemo ergo extollatur, si prophetet, si præscientiam mereatur, quia prophetiæ destruentur, cessabunt linguæ, scientia destruetur; permanet autem fides, spes, charitas; major enim est charitas, quæ sola nunquam cadit; et non solum prophetizabant, sed virtutes et signa mali quandoque faciebant, quod plerique non poterant; sicut Johannes Baptista, qui tantus erat, signa non fecit, sicut Johannes Evangelista testatur,

dicens; et multi venerunt ad Jesum, et dicebant, quia Johannes quidem signum fecit nullum, &c. De matre quoque Domini non legitur quod aliquid fecerit; de filiis etiam Schevæ legimus in Actis Apostolorum quod in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, dæmonia ejecerunt; unde in Matthæo et Luca reperies: Multi dicent in illa die mihi, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Et alibi: Respondens autem Johannes, dixit: Magister, vidimus quendam in nomine tuo dæmonia ejicientem, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum, nemo est qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me: qui enim non est adversus nos, pro nobis est. Item Alexander Macedo gentilis montes Caspios transtulit, et decem tribus intra eorundem promontoria, ubi usque in hodiernum resident, et usque in adventum Eliæ et Henoc residebunt, miraculose conclusit. Merlini itaque prophetiam legimus, sanctitatem ejus vel miracula non legimus; objiciunt, et quia prophetiæ non extra se fiebant, quando prophetabant, sicut de Merlino Silvestri legitur, quod amens factus prophetabat; et de his similiter quasi arreptitiis, de quibus hic locuti sumus. Sed alii per somnia, visiones, et ænigmata, ut Ezechiel et Daniel; alii per facta et dicta, ut Noe in archæ fabricatione ecclesiam; Abraham in filii immolatione Christi passionem; Moyses dicens, Suscitabit vobis Deus prophetam de fratribus vestris, hunc audite, Christum significavit. Alii excellentiori quodam modo per internam Spiritus Sancti inspirationem ac revelationem, ut David, quibus id solum, quod in libro Regum I. de Saule legitur David persequente respondeo: Quia cum accepisset Saul David in Naioth, qui est collis in Ramatha, ubi erat cuneus prophetarum, transfugisse, misit lictores in Naioth, ut raperent David, qui cum vidissent prophetas et Samuelem stantem super eos, factus est illis spiritus Domini, et prophetabant; misitque secundos et tertios nuntios, qui

et ipsi prophetaverunt; et iratus Saul, abiit post eos, et antequam veniret in Naioth, ingrediens prophetabat, et quasi amens factus et exutus veste regia, tota die et nocte canebat cum cæteris, David et Samuele clam videntibus; nec mirum, si illi, qui spiritum Domini datamque desuper gratiam tantam subito suscipiunt, à terrenæ mentis interim statu alienari videantur.

CAP. XVII.

DE GENEROSITATIS AMORE ET GENEALOGIA LONGE RETENTA.

Generositatem vero, et generis nobilitatem præ rebus omnibus magis appetunt; unde et generosa conjugia plus longe cupiunt quam sumptuosa vel opima. Genealogiam quoque generis sui etiam de populo quilibet observat, et non solum avos, atavos, sed usque ad sextam vel septimam, et ultra procul generationem memoriter et prompte genus enarrat in hunc modum, Resus filius Gruffini, filii Resi, filii Theodori, filii Æneæ, filii Oeni, filii Hoeli, filii Cadelli, filii Roderici Magni, et sic deinceps.

Genus itaque super omnia diligunt, et damna sanguinis atque dedecoris acriter ulciscuntur. Vindicis enim animi sunt et iræ cruentæ, nec solum novas et recentes injurias, verum etiam veteres et antiquas velut instantes vindicare parati. Non urbe, non vico, non castris cohabitant, sed quasi solitarii sylvis inhærent; in quarum ejusdem margine non palatia magna nec sumptuosas et superfluas lapidum cementique structuras in altum erigere, verum tecta viminea, usibus annuis sufficientia, modico tam labore quam sumptu, connectere mos est: non pomeriis utuntur, non hortis, utrorumque tamen fructibus eis aliunde porrectis, libenter vesci solent. Agris igitur plurimum utuntur pascuis, parum cultis, floridis parce, consitis parcissime. Boves autem ad aratra vel plaustra binos quidam jungunt rarius, sed quaternos frequentius, stimulatore præambulo, sed retrogrado; quem et pericula plerumque dum tauri juga detractant retro cadendo contingit experiri. Falcibus quoque minus utuntur ad metendum; plus autem et expeditius ferro quodam modico in cultelli modum formato,

baculis binis ad capita laxe et flexibiliter catenato; sed quoniam

> Segnius irritant animos demissa per aures,
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus,—

melius videndo quam audiendo modum attendes. Sunt et his naviculæ ad piscandum seu flumina transnavigandum viminiæ, non oblongæ, non rostratæ, sed quasi rotundæ, vel potius in triangulum formatæ, undique coriis animalium crudis intus et extra contectæ; cum autem naviculum salmo injectus cauda fortiter percusserit, non absque periculo plerumque vecturam pariter et vectorem evertit. Naviculas istas piscatores patriæ ritu eundo et redeundo humeris portant, unde et famosus ille fabulator Bledhercus, qui tempora nostra paulo prævenit, super hoc casu sic ænigmatice proloqui consueverat: Sunt apud nos gentes quæ cum ad prædandum depropeperent, equos humeris impositos usque ad prædam ipsam portant, ad prædam vero capiendam equis insiliunt, atque capta statim equos humeris iterum injectos, domum redeundo reportant.

CAP. XVIII.

DE ANTIQUA FIDEI FUNDATIONE, CHRISTIANITATIS AMORE ET DEVOTIONE.

Præterea olim longeque ante excidium Britannicum, quia per annos circiter ducentos per Faganum et Damianum ad petitionem Lucii Regis ab Eleutherio Papa in insulam transmissos, in fide fundati sunt et solidati; unde et à tempore quo Germanus Altisidiodorensis et Lupus Trecensis propter corruptionem quæ Paganorum Saxonum irruptionibus jam irrepserat, et præcipue ad expellendam hæresin Pelagianam, in insulam missi sunt, nihil hæreticum, nihil recte fidei contrarium sensere; ab eorundem quoque doctrina hæc, ut fertur, usque in hodiernum documenta tenuerunt.[1] De quolibet pane apposito primum fractionis angulum pauperibus donant; terni quoque in Trinitatis memoriam ad prandium sedent. Viro cuilibet religioso monacho vel clerico, vel cuicunque religionis habitum præferenti, statim projectis armis cernuo capite benedictionem petunt. Episcopalem vero confirmationem et chrismatis (qua gratia spiritus datur) inunctionem, præ alia gente totus populus magnopere petit. Omnium quoque rerum quas possident, animalium, pecorum, et pecudum interdum decimas donant, quando videlicet vel uxores sibi martiali copula jungunt, vel peregrinationis iter arripiunt, aut quamlibet vitæ suæ, ecclesiæ consilio, correctionem assumunt: hanc autem rerum suarum partitionem decimam magnam vocant, cujus duas partes ecclesiæ suæ baptismali, tertiam vero episcopo diocesano dare solent. Præ omni autem peregrino labore, Romam peregre libentius eundo, devotis mentibus Apostolorum limina propensius adorant.

Ecclesiis autem et ecclesiasticis viris, sanctorum quoque reliquiis, et campanis bajulis, libris textis et cruci, devotam reverentiam exhibere, longeque magis quam ullam gentem his omnibus honorem deferre videmus; unde et ecclesiæ istorum longe majorem quam alibi pacem habent. Non etenim in cœmiteriis solum, verumetiam extra procul per metas et fossas ulteriores ab episcopis causa pacis impositas et constitutas, animalibus ad pascua pax servatur; ecclesiæ vero majores quibus majorem antiquitas reverentiam exhibuit; quatenus armenta mane ad pascua exire et vesperi redire possunt, pacem præbent. Unde si cum principe capitales quis inimicitias incurrerit, si ecclesiæ refugium quæsierit, eadem sibi et suis pace gaudebit; adeo ut hac immunitatis indemnitate, longe canonum indulgentiam excedente, qui corpori solum et membris tali in casu salutem præstant, multi abutentes, audacius ob hanc impunitatem hostiliter excedunt, et ab his etiam refugii locis tam patriam undique totam quam principem ipsum graviter infestando molestant. Heremitas et anachoritas abstinentiæ majoris magisque spirituales alibi non videas: gens etenim hæc omni vehemens est intentione: unde et Sicut malis nusquam pejores, sic bonis meliores non reperies.

Fœlix itaque gens et fortunata, gens vere utraque sorte beata, si prælatos haberent bonos et pastores, unoque gauderent principe, et illo bono.

ANNOTATIONES IN CAPUT XVIII.

[1] Duæ res, teste Giraldo, rempublicam felicem et fortunatam reddunt, quarum altera in unius boni principis moderata gubernatione consistit, altera in fidelis diligentisque pastoris sana doctrina et disciplina salubri; priorem nobis his nostris diebus largita est Dei clementia ut videremus ipsi: Cambriæ enim principatu Angliæ regno unito, et antiqua civium libertate incolis restituta, unius principis boni pacifico moderamine fruimur, veteri inimicitia inter Anglicam gentem et Cambricam jam pridem sopita et penitus extincta. In posteriore vero non ita felices et fortunati sumus. Nam etsi summi pastores viri boni et moderati sint, est tamen tam in doctrinæ penuria, quam in disciplinæ executione (in Cambria) defectus: etenim sicuti ecclesiasticorum sacerdotiorum cauponatio et abusus (de quibus supra Itinerarii lib. i. cap. 2, annot. 5, memini) evangelicæ prædicationis cursum impedit, et veritatis doctrinam à populo avertit; ita et publicæ pœnitentiæ redemptio pecuniaria, quam commutationem vocant, usurpata ab iis qui pecuniæ magis quam pietati student, impuros mores et omnem vitæ turpitudinem inducit, nec quicquam aliud adeo fenestram omnem scortationibus atque adulteriis patefacit, atque hæc criminum vel animarum potius nundinatio, nullo pœnitentiæ indicio (quo illis, qui hominis improbitate offenduntur satisfieret) edito; et si quis excipiat, illam pecuniam, quæ hoc modo, ex pœnitentiæ publicæ redemptione conflatur, in pios usus, videlicet, aut in viis publicis et pontibus reficiendis, aut in reparandis ecclesiarum ruinis, aut in sublevandis pauperum necessitatibus erogari: audio quod dicitur, et video quod sit: quod si hoc quod asseritur, cum externa delinquentis submissione iis in locis fieret in quibus admissum crimen est, ita ut læsæ congregationi innotesceret, non omnino

quererer. Sin vero in privatos quorundam usus mulcta illa pecuniaria redundet, omnes pii redargutionem justam esse fatebuntur; nam quid turpius et à Christiana professione magis alienum excogitari potest, quam ex scortationibus, stupris, et adulteriis (more Romanorum pontificum) quæstum facere? Sed de his et aliis perversæ in Cambria disciplinæ nævis, cum multis *ἀπλήστων ἀνδρῶν φιλοκτήμασι*, fusius à me in eo libro, quem de gravioribus Cambriæ incommodis conscripsi tractatum est.

CAMBRIÆ DESCRIPTIONIS

LIBER SECUNDUS.

Quoniam in priori libro gentis Britannicæ naturam, mores, et modos satis evidenter explicuimus, eaque præcipue quæ virtuti consona et in unum collecta ad laudem ejus et honorem vere poterant explanari, de cætero competens ordo deposcit, ut in sequenti operis partitione more historico ad ea quoque quæ virtutis et laudis lineam egredi videntur, calamum vertamus. Impetrata tamen veritatis explicandæ venia, citra quam omnis historia non solum authoritatem sed et merito nomen historiæ demeretur. Naturam enimvero imitari arte professus, authoritatem pictor amittit; si diligentius apta dum protrahit, minus idonea verecunde prætermittit; unde etiam quoniam vitiis sine nemo nascitur, Optimus ille est qui minimis urgetur; nihil humanum à se alienum sapiens putet. Semper enim mundanis in rebus quasi nulla sub cœlo perfecta felicitas, et mala sunt vicina bonis et vitia virtutibus distinguuntur. Sicut ergo sive naturæ sive industriæ bona mentem bene compositam audita delectant, sic recitata bonis contraria non offendant. Corrumpi nimirum ex longo exilio et paupertate pejoresque ad usus gentis hujus natura perverti potuit: sicut enim multa paupertas extinguere vitia solet, sic nonnulla interdum ex eadem contraria virtutibus adolescunt.

CAP. I.

DE INCONSTANTIA GENTIS HUJUS ET INSTABILITATE, FIDEI QUOQUE SACRAMENTIQUE REVERENTIA NULLA.

GENS igitur hæc gens tenuissimæ fidei; nec minus animo levis quam corpore: gens ad facinus quodlibet sicut facillime impellitur, sic à proposito seu jam incœpto eadem facilitate revocatur: gens in omni quidem mobilis actione, semper tamen in malo pertinacior; nullius nempe rei præter inconstantiæ solius constantiam habens. Nullum eis jusjurandum, nulla fidei, nulla veritatis reverentia; adeo namque fidei fœdus aliis inviolabile gentibus parvipendere solent, ut non in seriis solum et necessariis, verum in ludicris omnique fere firmando verbo dextræ manus, ut mos est, porrectione signo usuali dato fidem gratis effundere consueverint. Præterea, quicquid commodi, quicquid temporalis emolumenti sacramenti transgressione provenire potest, passim perjurio parant; adeo quidem ut in causis foroque civili tam excipiendo quam explicando, puta quicquid ad præsens expedire videtur, jurare parati, pars utraque semper agere, semper probare nitatur: quanquam tamen venerandæ leges, ubi sacramenta sacra putantur, ubi reverentia veris et honor exhibetur honestis, in rei favorem et odium actoris probationem actori tanquam onus imponant; porro populo versuto et versipelli jugum hoc suave et onus leve videtur.

CAP. II.

QUOD DE RAPTO VIVUNT, ET PACIS AMICITIÆQUE FŒDERA NON CUSTODIUNT.

Ad hæc etiam rapinis insistere raptoque vivere furto et latrocinio, non solum ad exteros et hostiles populos verum etiam inter se proprium habent. Pacis quoque et amicitiæ fœdera, visa nocendi opportunitate, non respiciunt, fidei sacramentique religionem turpi lucro postponentes: quod et Gildas olim in libro de Excidio Britonum more historico suæ gentis vitia veritatis amore non supprimens, his verbis declaravit: Nec in bello fortes, nec in pace fideles. Sed quando Julius Cæsar, qui tantus erat quantus et orbis, sub Cassivellauno duce,

Territa quæsitis ostendit terga Britannis,

nunquid non fortes fuere? Quid et quando Belinus et Brennus Romanum imperium suis addidere victoriis? Quid Helenæ nostræ filii Imperatoris tempore Constantini? Quid Aurelii Ambrosii regno? quem etiam laudibus Eutropius effert. Et Arturi nostri famosi, ne dicam fabulosi, tempore quanti fuere? Sed e diverso qui à Scotis et Pictis populisque tam vilibus fere debellati, auxiliatrices Romanas toties vexarunt legiones, dicentes, sicut ex Gilda colligimus, Barbari nos ad mare, mare autem ad barbaros impellit; hinc subjugamur, hinc submergimur, hinc trucidamur. Nunquid tunc fortes, inquit, et laudabiles fuere? A Saxonibus quoque in auxilium vocatis et stipendiario munere locatis quando expugnati et subacti, nunquid fortes? Et quod omnium istorum validius ignaviæ eorum argumentum est, quod Gildas, qui vir sanctus erat et de gente eadem, in cunctis quas

de gente ipsorum scripsit historiis nihil usquam egregium de ipsis posteritati reliquit; hujus autem contrarii solutionem, Deo dante vitaque comite, in Britannica promittimus Topographia.

Id tamen hic tantillum ad majorem evidentiam addere sufficiat; quod ex quo maximus ille Britonum princeps, cujus in capite libelli mentionem fecimus, totam armatæ juventutis Britanniæ in transmarina ducendo robur exhauserat; multis postmodum annis vacua viris et viribus insula piratis et prædonibus mansit exposita, quæ quidem antea incomparabili strenuitatis gloria floruerat. Adeo quidem ut per ejus alumnos præclarus ille tyrannus totam fere Cisalpinam Galliam subjugaverit, ipsumque Romanum imperium armis attemptare præsumpserit. Processu quoque temporis longa demum propagatione multiplicata et armis instructa in pristinæ probitatis audaciam Britannica juventus excrevit; distinguantur igitur in hunc modum tempora, et concordabunt scripta. De Gilda vero, qui adeo in gentem suam acriter invehitur, dicunt Britones, quod propter fratrem suum Albaniæ Principem, quem Rex Arthurus occiderat, offensus hæc scripsit; unde et libros egregios, quos de gestis Arthuri et gentis suæ laudibus multos scripserat, audita fratris sui nece, omnes, ut asserunt, in mare projecit; cujus rei causa nihil de tanto principe in scriptis authenticis expressum invenies.

CAP. III.

DE MARTIO CONFLICTU INVALIDO, TURPIQUE FUGA ET ILLAUDABILI.

In bellico conflictu primo impetu acrimonia, voce, vultu terribiles effecti tam clamore horrendo cœlum replente tubarumque prælongarum clangore altisono, quam cursu pernici pariter ac præcipiti, crebris quoque jaculorum ictibus, gens asperrima. Porro si suscepta viriliter passa fuerit primo repulsam, confusioni facillime data statim ut terga dederint, solum fugæ præsidio nullique penitus confidunt rebellioni: quod tamen in martiis conflictibus reprehensibile poeta non ignoravit, dicens:

> Ignavum scelus est tantum fuga;

et alibi:

> In vicium culpæ ducit fuga, si caret arte.

Sicut ergo de Teutonicis in Romana Historia legitur, sic et istis idem assignari potest; in primo impetu majores sunt viris, in secundo vero minores mulieribus. In fuga nimirum et confectione crebro revertens, et tanquam Parthicis à tergo sagittis fugiendo repugnans animosa virilitas magis apparet; et tamen sicut in bellicis successibus ac victoriis etiam ignavi de virtute gloriantur, sic et in pejori fortuna vix etiam viris sua virtus conceditur; totum itaque vel fugando vel fugiendo certamen eorum. De plano namque confligere deque victoria

cominus contendere diuque viriliter dimicare; cujusmodi conflictum poeta describit dicens:

> Jam clypeo clypeus, umbone repellitur umbo,
> Ense minax ensis, pede pes, et cuspide cuspis.

Gens leviter armata et agilitati potius quam robustis viribus confisa sustinere non potest. Veruntamen hodie confecta et cruentam in fugam turpiter conversa, cras nihilominus expeditionem parat; nec damno nec dedecore retardata. Etsi apertis congressibus belloque indicto fortè non prævalet, insidiis saltem et nocturnis irruptionibus hostem gravat. Unde et quoniam nec fame nec frigore gravata, nec martio labore fatigata, nec casibus adversis in desperationem data, sed post lapsum statim resurgere prompta bellique discrimina denuo subire parata; sicut prælio facile sic bello difficile vinci solet. Unde et Claudianus de gentis ejusdem natura loqui videtur, dicens:

> Dum pereunt, meminere mali; si corda parumper
> Respirare sinas, nullo tot funera censu
> Prætereunt, tantique levis jactura cruoris.

CAP. IV.

DE AMBITIOSA TERRARUM OCCUPATIONE, ET INTER FRATRES DIVISIONE.

Finales autem fossas effodere, terminos transponere, et metas transcurrere, terrasque modis omnibus vel occupare vel dilatare, gens præ gentibus aliis ambitiosa. Adeo quidem hoc ambitionis vitio communi labe laboravit, quod terras quascunque seu precario seu commodato locationis, conductionis, emphiteseos, vel alio quocunque titulo semel possidere contigerit, sacramentis etiam vero domino proprietario super indemnitate ac securitate palam interpositis, nihilominus tamen easdem tanquam proprias et hæreditarias sibi jure perpetuo vendicabunt. Hinc itaque lites in curia et contentiones, hinc cædes et incendia, hinc crebra fratricidia. Ad hæc etiam quod fratres inter se pro herili terras portione dividunt et distinguunt, antiquus in hac gente mos obtinuit. Accessit et aliud incommodum grave; quod principes filios suos generosis de terra sua viris diversis diversos alendos tradunt, quorum quilibet alumnum suum post patris obitum extollere aliisque præferre toto conamine nititur et machinatur; per quod graves toties terris eorum, nec sine cædibus injustis et fratricidiis seu fratrum exoculationibus crebris, virium quoque omnium et successuum experientia facile fœdabiles emergere solent turbationes; unde et inter fratres collactaneos quam naturales longe veriores invenies amicitias. Hoc etiam in his notabile, quod fratres plus mortuos diligunt quam vivos; vivos enim ad mortem persequuntur; mortuos autem et ab aliis interemptos totis viribus ulciscuntur.

CAP. V.

DE GRAVI EORUM EXACTIONE ET IMMODERANTIA.

Ubi autem copiam inveniunt, et potestatem exercere possunt, exactores improbissimi. Cibo namque potuque præsertim inebriante extra briam omnem poni cupientes, modum et modestiam minus observant, dicentes cum Apostolo: Scimus abundare, scimus et penuriam pati. Sed non cum eodem, Omnibus omnia facti, ut omnia lucrifaciant Deo. Sicut enim ingruente necessitate nimiæ sunt abstinentiæ et parsimoniæ, sic post longam esuriem lupis in hoc et aquilæ similes, quia sicut et illi rapto vivunt et raro reficiuntur, ad alienam præcipue positi mensam, immoderatam appetunt saturitatem: sunt igitur in penuria parci, in copia superflui; suam tamen nemo substantiam, sicut in Anglorum gente videmus, ob gulæ propriæ, crapulæque vitium fœnori donat. In sumptibus autem et honore volunt omnes omnibus, quoniam facinus quos inquinat æquat, prava consuetudine parificari.

CAP. VI.

DE INCESTUS CRIMINE, ECCLESIARUM QUOQUE PER SUCCESSIONEM ET PARTICIPES ABUSIONE.

Crimen autem incestus adeo apud omnes tam minores in populo quam etiam majores enormiter invaluit, quod in quarto gradu et quinto passim, in tertio quoque plerumque, quod non est timor Dei ante oculos eorum, consanguineas ducere nec verecundantur nec verentur. Ad sedandas quippe inimicitias, quas inter se toties, quia veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, hostiliter incurrunt, hujuscemodi per se dispensationibus passim abutuntur: ob generositatis etiam amorem, quam tantopere cupiunt et affectant, suæ genti se jungentes, alienis omnibus, tanquam sanguine et origine juxta innatæ præsumptionis arrogantiam longe disparibus, modis omnibus copulari recusant. Matrimoniorum autem onera, nisi expertis antea cohabitatione, commixtione, morum qualitate, et præcipue fœcunditate, subire non solent. Proinde et puellas sub certo parentibus pecuniæ precio, et resipiscendi pœna statuta non ducere quidem in primis sed quasi conducere, antiquus in hac gente mos obtinuit. Ecclesiæ vero istorum omnes fere tot personas et participes habent, quot capitalium virorum in parochia genera fuerint; successive quoque et post patres filii ecclesias obtinent non elective, hæreditate possidentes et polluentes sanctuarium Dei; quod si prælatus alium eligere et instituere forte præsumpserit, in instituentem proculdubio vel institutum genus injuriam vindicaret. De duobus autem his excessibus, incestus videlicet et successionis, radicatis olim in Armorica Britannia, necdum eradicatis, scribit in quadam Epistola

sua Ildebertus Cenomannensis Episcopus, dicens etiam se concilio interfuisse cum clero Britanniæ ob has enormitates gentis illius extirpandas convocato; ex quibus constare potest utrumque vitium huic genti tam cismarinæ quam transmarinæ ab antiquo commune fuisse. Unde et illud Psalmistæ David non incompetenter huic populo adaptari posse videtur: Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis. Non est qui faciat bonum; non est usque ad unum. Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt, &c.

CAP. VII.

DE PECCATIS EORUM, ET TAM BRITANNIÆ QUAM TROJÆ MERITIS URGENTIBUS AMISSIONE.

Prætерea, peccatis urgentibus, et præcipue detestabili illo et nefando Sodomitico, divina ultione tam olim Trojam quam postea Britanniam amiserunt. Legitur enim in Romana Historia, quod Constantinus Imperator Occidentali Imperio Beato Silvestro et successoribus suis cum urbe relicto, Trojam reædificare proponens, ibique Orientalis Imperii caput erigere volens, audivit hanc vocem: Vadis reædificare Sodomam: et statim mutato consilio, versus Bizantium vela pariter et vexilla convertit, ibique imperii sui caput constituens, urbem eandem felici suo nomine decoravit. De Mailgone quoque Britonum Rege, aliisque plurimis, in Historia Britonum legitur eodem vitio laborantibus; veruntamen multo jam tempore adeo à Britonibus enormitas illa prorsus evanuit, ut ejus etiam memoria jam apud eos vix habeatur. Proinde quasi pœnitentia jam fere peracta, et quoniam numero præter solitum et multitudine, viribus et armis, bellorum quoque successibus et terrarum incrementis, nostris plurimum diebus adaucti sunt, gloriantur ad invicem, prædicant et confidentissime jactant, toto (quod mirum est) in hac spe populo manente, quoniam in brevi cives in insulam revertentur, et juxta Merlini sui vaticinia exterorum tam natione pereunte quam nuncupatione antiqua in insula tam nomine quam omine Britones exultabunt. Sed mihi longe aliter visum est: quoniam enimvero

> Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
> Nec facile est æqua commoda mente pati;

et quia

Non habet unde suum paupertas pascat amorem:
. . . .
Divitiis alitur luxuriosus amor.

Ut paupertati potius in hoc exilio, quo extorres fere facti sunt à regno, attribuenda sit vicii illius, quo in divitiis carere nescierant, illa carentia quam virtuti.

Qualiter enim pœnitentiam nedum peregisse dicentur, quos tot peccatis vitiorumque voragini datos, perjuriis puta, furtis, latrociniis, rapinis, homicidiis et fratricidiis, adulteriis et incestibus, obstinata de die in diem amplius malitia implicitos videmus et irretitos; adeo quidem ut verbis Oseæ Prophetæ in ipsos uti vere quis possit: Non est veritas, non est misericordia, &c.

Alia quoque de quibus jactant, operosis regum Normannorum curis, quibus Francorum superbiæ in transmarinis tanto præindulgent, longe verius quam vel eorum viribus magnis vel potentiis sunt assignanda: hujus autem rei si certitudinem quæris, respice reges Anglicos Normannis priores, qui quum hac solum insula Britannica contenti fuerant, et tantum his debellandis operam dabant, eosdem pene penitus sæpe deleverant; sicut Rex Offa suo in tempore, qui et fossa finali in longum extensa exclusit Britones ab Anglis; Ethelfridus quoque, qui nobilem Legionum Urbem destruxit, et egregii illius Banchorensis monachos monasterii in auxilium orando vocatos gladiis interemit; et sicut longe plenius Haroldus ultimus, qui pedes ipse cumque pedestri turma et levibus armis victuque patriæ conformi tam valide totam Cambriam et circuivit et transpenetravit, ut in eadem fere mingentem ad parietem non reliquerit; in cujus victoriæ signum perpetuamque memoriam lapides in Wallia more antiquo in titulum erectos locis, in quibus victor extiterat, literas hujuscemodi insculptas habentes, plurimos invenies: HIC FUIT VICTOR HAROLDUS. Ob has igitur tam cruentas tamque recentes

Anglorum de hac gente victorias primi tres Normannorum reges in tanta subjectione tamque pacificam suis diebus Walliam tenuere; quorum temporibus gens hæc in numero plurimum adaucta, armis etiam et equis à Normannis et Anglis, quos et curiam sequendo et obsides dando jam frequentaverant, edocta paulatim et assueta, trium sequentium tempore propter majores, ut diximus, quibus transmarinas ad partes tenebantur, curas, cervicem erigentes et terras occupantes, pristinum ferre jugum omnino respuerunt.

CAP. VIII.

QUALITER GENS ISTA SIT EXPUGNANDA.

Porro qui gentem hanc subjugare pacificamque tenere voluerit, hac arte utatur. In primis operam ad minus annuam operosamque curam et assiduam huic adhibere negotio princeps in animo fixum habeat; gens etenim, quæ nec in campo contra exercitum armatum consertis viribus aperte congreditur, nec in castellis obsidionem exspectat, non impetu primo sed per moram diligentem et vacationem est expugnanda. Deinde vires eorum dividat, et quosdam ex ipsis ad alios confundendum, quod se invicem odio et invidia prosequi solent, donariis alliciat tam præmissis quam promissis; et sic autumnali in tempore non solum Marchia sed etiam terra interior locis idoneis, castellis, alimentis, et familiis bonis bene muniatur. Interim autem cuncta mercimonia frumenti, panni, salis, et bladi, quibus ex Anglicana copia sustentari solent, arctius eis inhibeantur. Naves quoque validis plenæ viris, ne per Hiberniam vel Sabrinum mare eis prædicta navigio deferri possint, aliquot ad tutelam adhibeantur, quibus et ab hostibus arceantur et suis victualia deferantur. Subsequenter autem, hyeme ingruente majore, cum foliis sylvæ et pascuis montana caruerint, prædis abductis ipsisque jam per familias et crebros undique castrensium impetus plurimum afflictis, cum exercitu pedestri valido mediocriter et non ad onus armato, usque ad eorum latibula sylvarumque condensa arborum confraga viriliter transpenetretur; semper autem pedestribus turmis è vestigio sequentes ad fortitudinem et refugium milites aliquot adjiciantur; et sic per crebras confligentium mutationes, ut fatigatis semper turmis novæ

succedant, per cædes quoque et strages multas, si casus obtulerit, expugnenter. Non enim his sine nec absque periculo multorum et damno gens poterit inimica debellari; sed licet hodie de Anglorum exercitu stipendiarii multi ceciderint, cras nihilominus ad eadem discrimina totidem vel plures moneta dabit. De Cambrensibus autem, quoniam nec alienigenas nec stipendiarios habent, quicunque ceciderint, damnum eis impræsentiarum irreparabile fiet. In hoc itaque negotio sicut artifici credendum est in sua facultate, sic horum præcipue standum est consilio, qui circa similia patriæ negotia conversati diutius et usitati mores gentis et modos agnoscunt, quorumque magnopere refert, ut gens inimica, quacum ex crebris belli diutini conflictibus hostilitatem plurimam et odium implacabile contraxerunt, eorundem opera vel debilitari possit vel deleri. Felices dixerim Cambriæ fines, quos Anglorum gens inhabitat, si reges eorundem in partibus illis gubernandis et propulsandis inimicæ gentis injuriis plus Marchionum et Baronum patriæ quam Andegavorum et Normannorum consiliis et dispositionibus olim usi fuissent. In hac autem expeditione, sicut in alia qualibet sive Hibernica sive Cambrica, gens in Cambriæ Marchia nutrita, gens hostilibus partium illarum conflictibus exercitata, competentissima puta formatis à convictu moribus audax et expedita; cum alea Martis exegerit, nunc equis habilis nunc pedibus agilis inventa, cibo potuque non delicata, tam Cerere quam Baccho causis urgentibus abstinere parata. Talibus tam Hibernia quam Cambria viris initium habuit expugnationis; talibus quoque vel nullis consummabilis finem habitura conquisitionis. Flandrenses quippe, Normanni, Coterelli, et Bragmanni, quanquam suis in terris milites egregii sint et armis instructissimi, Gallica tamen militia à Cambrica, sicut et ab Hibernica, distare dinoscitur; ibi namque plana petuntur, hic aspera; ibi campestria, hic sylvestria; ibi arma honori, hic oneri; ibi stabilitate vincitur, hic agilitate; ibi capiuntur milites, hic decapitantur; ibi redimuntur, hic perimuntur. Sicut igitur ubi militares acies de plano conveniunt, gravis illa et multiplex

armatura, tam linea sc. quam ferrea, milites egregie munit et ornat; sic ubi solum in arcto confligitur seu loco sylvestri seu palustri, ubi pedites potius quam equites locum habent, longe levis armatura præstantior: contra inermes namque viros, quibus semper in primo fere impetu vel parta est statim vel perdita victoria, expeditiora satis arma sufficiunt; ubi fugitivam vel agilem per arcta vel aspera gentem sola necesse est gravi quadam et armata mediocriter agilitate confundi; cum illa nimirum armatura multiplici sellisque recurvis et altis difficile descenditur, difficilius ascenditur, difficillime cum opus est pedibus itur. Ut igitur singula quæque locum teneant sortita decenter, contra graves et armatos solum virium robore et armorum ope confisos, de plano dimicare victoriamque vi obtinere contendentes, armatis quoque viris et viribus opus ibi esse proculdubio protestamur. Contra leves autem et agiles et aspera petentes levis armaturæ viri taliumque præsertim exercitati congressibus adhibendi. Urbes autem et castra, quæ Sabrina perlabitur, totaque terra ab occidua ejusdem parte versus Walliam ab Anglis occupata, nec non et Slopesburiæ provincia et Cestria tota, communitæ viribus et armis, vel alio quovis speciali libertatis honore provida principis largitione lætentur. Ubi et annis singulis per viros probos et discretos ad hoc deputatos, qui patriæ tutelæ et defensioni non rapinis intendant et destructioni, bellici apparatus, armorum sc. et equorum visio fiat; quatenus ibidem tam militibus et civibus quam servientibus populoque toto armis instructis et assuetis, et libertati in hunc modum libertas opponatur, et per superbiam superbia retundatur. Cambri nimirum, quod nec laboriosis oneribus atteruntur, nec dominorum exactionibus ullis molestantur, hinc eis ad propulsandas injurias cervix erecta, hinc ad patriæ tutelam audacia tanta, hinc armis semper et rebellionibus gens promptissima. Nihil etenim quod adeo corda virorum ad probitatem excitet erigatque et invitet, ut libertatis hilaritas; nihil adeo deprimit et deterret, ut servitutis oppressio. Poterit etiam hæc regni particula armis et animositate

munita non solum in finibus istis, verum etiam alibi in necessitatis articulis tam remotis partibus quam propinquis egregie principi militare; et si forte à provinciis istis annuis vectigalibus fiscali minus ærario proveniat, regni pace et regis honore plene et abunde defectus iste compensetur; præsertim etiam cum expeditionis unius ad Walliam gravis partes admodum et periculosa sumptuositas multorum soleat armorum fiscales finium illorum reditus æquiparare.

CAP. IX.

QUALITER EXPUGNATA SIT GUBERNANDA.

Gens igitur hæc, sicut per industriam prædicto tenore est expugnanda, sic expugnata moderato in hunc modum regimine est gubernanda: constantis et vindicis animi viris cura regiminis committatur, qui et pacis tempore dum legibus obtemperat et servire non recusat, ipsam interim stabili conventione deliniat et honore præveniat. Gens etenim hæc, sicut et barbara gens quævis, quanquam honorem nesciant, honorari tamen super omnia quærunt, et veritatem, quam in se non habent, in aliis approbant et venerantur; cum autem usitatæ levitatis indicio à pace resilire præsumpserint, dissimulata prorsus mansuetudine continuo vitium vindicta sequatur; cum iterum ad pacem reversi fuerint, condigna delicti satisfactione secuta, quoniam post inimicitias iræ meminisse malorum, quamdiu fideliter steterint dissimulata prorsus injuria pristina statim tam securitate gaudeant quam honore; quatenus tam ad obsequendum quam ad pacis bona sequendum et præmium invitet, et à temerariis ausibus secutura semper pœna deterreat. Porro qui ista confundunt, in delictis deferendo, in obsequiis deprimendo, in guerra blandiendo, in pace deprædando, imbelles spoliando, rebelles venerando, sicut plerosque vidimus; hi confusa sub se cuncta reddentes, demum et ipsi confunduntur. Præterea, quia minus ea lædere solent quæ prævidentur, et quia felix est illa civitas quæ in pace bellum cogitat, pacis tempore contra imminentia Martis incommoda tam castrorum constructione quam silvestrium viarum ampliatione necnon et familiæ bonæ retentione vir prudens præmuniatur et præparetur: qui enim in pace

foventur et sustentantur, hi longe promptius, securius, atque fidelius urgentibus incommodis ad bella vocantur; et quoniam semper insidias sub amicitiæ fuco gens insubacta molitur, princeps vel præfectus nunquam eorum caput suum aut castrum fidelitati donet. Quoniam enimvero insignium virorum exemplis, quorum quosdam crudeliter extinctos, alios autem castris et honore privatos per incuriam vidimus et negligentiam, nationis subdolæ et subactæ longe fortius timenda est ars quam Mars, pax quam fax, mel quam fel, malitia quam militia, proditio quam expeditio, amicitia præfucata quam inimicitia despicata. Expedit itaque viro prudenti ac provido alienis in malis fugienda contemplari: indempnis est enim castigatio, qua prædocent exemplaria; quoniam, ut ait Ennodius: Ruina præcedentium posteros docet, et cautio est semper in reliquum lapsus anterior. Citra conflictum autem et sanguinis effusionem tanta expedire negotia pius princeps si præelegerit, Marchia, ut diximus, per omnia latera bene munita, commerciis quoque per mare per terras districte prohibitis, quidam Cambrensium in alios stipendiis datis, terrisque aliorum in alios collatis, lethalibus exitiis excitentur; ut sic demum tam fame et inedia cunctorumque fere ingruente penuria necessariorum quam cædibus inter se creberrimis et inimicitiis implacabilibus demum afflicti, infra non longum tempus ad deditionem proculdubio compellantur. Tria sunt enim quæ gentem hanc destruunt, et fructuosæ propaginis gaudia percipere non permittunt; quod paternam hæreditatem filii inter se tam naturales quam legitimi herili portione dividere contendunt; propter quod fratricidia, ut diximus, crebra contingunt; et quod fortibus et generosis provinciæ viris filii traduntur alendi, quorum quilibet defunctis patribus suum modis omnibus (unde cædes et incendia tot patriæque destructio tota) anteponere conatur alumnum; et hoc præcipue, quod aliarum gentium more, quæ felicitur vivunt, unius Regis consilio unique subjici domino obstinata pariter et elata mente recusant.

CAP. X.

QUALITER EADEM RESISTERE VALEAT ET REBELLARE.

SED quoniam pro Anglis hactenus diligenter admodum et exquisite disseruimus, sicut autem de utraque gente originem duximus, sic æque pro utraque disputandum ratio dictat; ad Cambros denuo in calce libelli stilum vertamus, eosque de arte rebellandi breviter sed tamen efficaciter instruamus: si ergo armatura Gallica Cambri plenius et communius uti assueverint, stabilique magis pugnæ quam agilitati dimicando confiderint; item si principes eorum unanimes in defensione et inseparabiles esse voluerint, vel potius si uno gauderent principe, et illo bono, in terra tam hispida tam munitissima gens prævalida vinci ad plenum vix valeret: si igitur inseparabiles esse vellent, et insuperabiles valde fieri possent, præcipue tribus adjuti, terra in se munita, parvoque vivere gente tam consueta quam contenta, et plebe tota sicut et nobilibus armis instructa; præsertim etiam cum Angli pro cupiditate certent, Cambri pro libertate; illi de lucro captando, isti de damno vitando; stipendiarii illorum pro pecunia, isti pro patria; illi, inquam, ut hos ab insula prorsus expellant totamque terræ faciem simul obtineant, isti vero ut qui universo soli regno tamdiu præsidebant, in hac saltem ejusdem angulo pessimo silvis et paludibus delitescant, et quasi pro delictis huc relegati, præscriptisque divitiarum excessibus usque ad præfinitum tempus in paupertate et inedià pœnitentiam agant. Plurimam quippe animositatis scintillam exprimere, plurimam rebellionis audaciam imprimere potest continua pristinæ nobilitatis memoria, et non solum Trojanæ generositatis, verum etiam regni Britannici tantæ et tam diuturnæ

regiæ majestatis recordatio. Unde et Anglorum Rege Henrico Secundo in Australem Walliam apud Pencadair, quod caput cathedræ sonat, nostris diebus in hanc gentem expeditionem agente, consultus ab eo senior quidam de gente Cambrorum, qui contra alios tamen vitio gentis eidem adhæserat, super exercitu regio populoque rebelli si resistere posset, quid ei videretur, bellicique eventus suam ut ei declararet opinionem; respondit: Gravari quidem plurimaque ex parte destrui et debilitari vestris, Rex, aliorumque viribus nunc ut olim et pluries meritorum exigentia gens ista valebit; ad plenum autem propter hominis iram, nisi et ira Dei concurrerit, non delebitur. Nec alia, ut arbitror, gens quam hæc Cambrica aliave lingua in die districti examinis coram Judice supremo, quicquid de ampliori contingat, pro hoc terrarum angulo respondebit.

FINIS.

Ex Officina Gulielmi Bulmer et Socii,
in vico Cleveland Row.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

ERRATA.

Pag. 11,	lin. 7,	*pro* accidissit,	*lege* accidisset.
— 30	— 16	— Cistersiensis,	— Cisterciensis.
— 45	— 14	— Menensi,	— Menevensi.
— 53	— 13	— teste,	— testante.
— 83	— 24	— molest iesse,	— molesti esse.
— 85	— 12	— inrempto,	— interempto.
— 85	— 21	— frustratim,	— frustatim.
— 87	— 25	— Demetiœ,	— Demetiæ
— 88	— 15	— mundatur,	— mundantur.
— 88	— 22	— Exprobabat,	— Exprobrabat.
— 110	— 15	— ut,	— et.
— 123	— 12	— anno,	— annum.
— 151	— 14	— simium,	— simiam.
— 156	— 11	— frustra,	— frusta.
— 194	— 18	— vellatus,	— vel latus.
— 212	— 8	— naviculum,	— naviculam.
— 129	— 7	— interpretatis,	— interpretis.